

KTOR
NGVLE

8
6
—
22






00 f


Handwritten text in a cursive script, possibly a signature or a name.

00 Ne

Large blue ink signature or stamp, possibly reading 'J. B. M.' or similar, written in a highly stylized cursive.







2

M. SAMUELIS RODIGASTI
SPES IN FUNDO


sive

Trias ante novissimum
diem sperandorum,

cum

hædomade Quæstionum affinium

excusa.



J E N Æ,

Sumtu J. O. BIELKII, Bibliop.
A. O. R. M. DC. LXXXVI.

M. GAMBRIUS RODICASTI
SPECIES IN FUNDO

1770

THOMAS ANTONIO BOYSSONNUS
dum spectandorum

1770

Lehrstuhle Querschnitt

1770



VERMAGT
BIBLIOTHEK
A. C. M. D. C. I. X.



VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, Consultis-
simis, Experientissimo, Spectatissimis, Pru-
dentissimis,

florētissimæ civitatis Berolinensis

DOMINIS

CONSULIBUS,

SYNDICO,

CAMERARIIS

ac

SENATORIBUS

reliquis gravissimis,

Dominis Patronis, Fauto-
ribus atque Evergetis suis omni honoris
Et observantiæ cultu æternum
devenerandis

S. P. D.

a 2 .pp. Pan-



21 (0) 20

PAndoram, jove
vis jussu à Vulcano
fabricatam, singulis
diis, deabusque ad
hanc munera conferentibus
sua, Pallade nempe sapientiam,
Mercurio eloquentiam, Venere
formam, Apolline Musicam,
deinde pyxide, omnium pesti-
um, malorumque genere referta,
à jove ipso instructam, atque ab
Epimetheo, cui se obtulerat, im-
prudenter receptam, aperta py-
xide, omnem malorum vim in
universum orbem effudisse, sola
SPE IN FUNDO relicta, ele-
gans Poëtæ Ascraei figmentum
est. Hic enim ille ἐγ. καὶ ἡμ.
v. 94. seqq. ἀλλὰ

αε(ο)αυ

ἀλλὰ γυνὴ χεῖρεςσι πίθη μέ-
γα πῶμ' ἀφελῆσα
ἔσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμή-
σατο κήδεα λυγρὰ
μύνη αὐλόθι ἐλπίς ἐν ἀρρήκτοι-
σι δόμοισιν
ἔνδον ἔμιμνε πίθη ὑπὸ χείλε-
σιν, ἔδ' ἐθύραζε
ἔξέπτη, κτλ.

Interprete Frisio.

*At mulier digitis dum tollit
opercula vasi,*

*Omne malum, ladens homines,
grave sparsit in orbem,*

SOLA ibi se infirmis tenuit

SPES adibus, intus

*Pyxidis ad labium latitans,
non evolat extra.*

Quid veri hæc occultet fabula
explicatu quadantenus obscu-
rum est. Plerique Pandora vo-

a 3

lupta-



(o)

luptatem significari credunt, quæ
recipiatur ab Epimetheo h. e. ap-
petitu sensitivo, dissuadente
etiam Prometheo, i. e. recta ra-
tione, recepta vero semel vario-
rum mœrorum & malorum
caussa sic:

*quippe nec ira Deum tantum,
nec tela, nec hostes,*

*quantum sola nocet animis il-
lapsa voluptas,*

ut canit *Silius Italicus lib. V. Pu-
nic.* Quod vero, effusa omni ca-
lamitatum humanarum farragi-
ne, sola SPES IN Pyxidis FLIN-
DO reliqua fuisse fingitur, eo
putant in maximis ærumnis at-
que adversitatibus, unicam spem
remanere, qua nos sustentamus
& solamur, secundum illud:
*agrote dum anima est, spes est,
vel: dum spiramus, speramus,*

Quo

Quo & alii Poëta respexisse vi-
dentur; ex Græcis quidem Theo-
critus, ita Canens:

Θαρσῆν χεῖρ, φίλε Βάττε, γὰρ χ'
ἀναιον ἔσσει' ἀμεινον,
ἐλπίδες ἐν ζῶοισιν, ἀνέλπιστοι δ' ἐ
θανόντες,

*Fidere, Batte, decet, melius cras
forsan habebis,
Sperandum est vivis, non est
spes ulla sepultis.*

Et Theognis in his, quibus Spem
in Deorum numero recenset,
eamque solam ex omnibus diis
adhuc inter homines versari, sci-
te fingit,

ἐλπίς δ' ἀνθρώποισι μόνη θεός
ἔσθλη ἔνεστιν
ἄλλοι ἔλυμπόν δ' ἐμπρολι-
πόντες ἔβαν.



ἔχει (ο) ἄν
ἔχει μὲν πίστις, μεγάλη θεός,
ἔχει δ' ἀνδρῶν
σωφροσύνη, χάριτες, ὦ φίλε,
γῆν ἔλιπον
ἀλλ' ὄφρα τις ζῶη, καὶ ὄρα φάθ
ἠελίοιο,
εὐσεβέων πρὸς θεός, ἐλπίδα
πρὸς μενέτω.

*Spes homines inter versatur sola
Deorum,
nam petiit celsos cætera turba
polos.*

*Cana fides abiit, periit pudor,
ipsaque mentis
Sobrietas, Charites deseruere
solum.*

*Tu vero, donec lumen vitale vi-
debis,
Vive pie, Et semper spem re-
tineto bonam.*

Ex Latinis Ovidius ita cecinit:
Spes

ae(o)æ

*Spes bona dat vires, animum
quoque spes bona firmat,
Vivere spe vidi, qui moriturus
erat.*

& Tibullus in eandem senten-
tiam:

*Jam mala finissem letho, sed cre-
dula vitam*

*Spes fovet, & melius cras fore,
semper ait.*

*Spes etiam valida solatur compe-
de victum,*

*Crura sonant ferro, sed canit
inter opus.*

Hæc quidem veritatis suæ luce
fatis radiant; alii tamen iis non
contenti fabulæ illius originem
altius repetunt, & Pandoram
ipsius Evæ, primæ mortalium
parentis, typum esse statuunt. Ita

a 5

P. D.

P. D. Huetius demonstr. Evang.
 p. m. 91, 92. Pandora, inquit, va-
 ferrima mulier, tot dotibus à diis
 ornata, tot malorum hominibus
 auctor quid aliud est, quam Eva
 hominum mater? Idem in eo oc-
 cupatus, ut Prometheus Mosen
 fuisse demonstraret, subjicit: Hanc
 (Pandoram) ad Prometheus
 missam à Jove narrant, & a Pro-
 metheo repudiatam ab Epimetheo
 exceptam: quia ejus historia à
 Mose consignata est, qui Eva,
 Adamo tradita, vafritiem & se-
 culus scriptis suis damnavit. Hæc
 ille.

Postquam igitur ignis è cœlo
 surreptus, i. e. fructus arboris
 scientiæ boni & mali vetitus, ex
 quo ingens intellectus sui lumen
 sibi pollicebantur protoplasti,
 contra divinum interdictum de-
 cerptus

cerptus fuerat, Pandorâ illa, Evâ,
 prius prævaricatâ, mare malo-
 rum terram inundavit; SPES
 tamen remansit INFUNDO,
 quam ipse DEUS dulcissimo il-
 lo Protevangelio confirmavit,
 fore nimirum, ut olim prodiret
 aliquis, nasciturus ex muliere,
 ἀλεξίνακⲟ, Messias desidera-
 tissimus, in quo omnes pii Pa-
 triarchæ, Reges & Prophetæ spem
 defixerunt suam, & quem tot
 anxiiis votis expeierunt. Ille
 erat חמדת לל הגוים *Desideri-
 um omnium gentium Hagg. 11, 8.*
 quod iusto tempore expletum
 comparuit, & omnes sibi addi-
 ctos de salute sua non bene tan-
 tum sperare, sed & confidere jus-
 sit: ille etiam nobis est ἡ μακα-
 ρία ἐλπίς, *beata illa spes Tit. 11,
 13.* cuius adventum in ultimis hisce
 diebus

diebus pie præstolamur. Hæc
 uti non incommoda est explica-
 tio; ita ad aliud jam licita mihi
 fit applicatio. Præsens, in quo
 degimus, seculum Pandoræ illi
 Hesiodiæ admodum simile mi-
 hi videtur: Si ullum aliud, hoc
 certe egregiis ornatum donis de-
 prehendimus, politissima mo-
 rum elegantia, stupenda oris elo-
 quentia, naturalium, multorum
 etiam recens inventorum, scien-
 tia mirifica, civilium prudentia
 insigni, aliisque elucet, de qui-
 bus superiora secula ne cogita-
 runt quidem; sed profecto simul
 attulit pyxidem omnigenis ma-
 lis stipatam: hæc, remoto quasi
 operculo, cumulatim evolarunt,
 omnesque regiones invaserunt:
 eruperunt cum multa alia vitia
 & flagitia, tum maxime hypo-
 crisis

crisis detestanda, & nefandus
 atheismus, quæ indies serpunt la-
 tius & optima quæque corrup-
 punt. Sigillatim in nobilissimis
 regnis enormiter nunc grassatur
tyrannis Pontificia, & acerbissi-
 mam conscientis vim affert, iis
 etiam in locis, ubi olim profliga-
 ta erat, novas radices agit: lævit
Mubammedica crudelitas & mul-
 tum sanguinis effundit Christia-
 ni: durat judaismi *pervicacia*, &
 tacite premit affligitque Ecclesi-
 am. Quid nobis inter sacrum
 quasi & laxum stantibus consilii
 superest? Tenendum illud Euri-
 pidis: οἷς ἔον καὶ ἐλπιδέον, *Feren-*
dum & sperandum; sed addo:
 etiam orandum: ρῦσαι ἡμᾶς
 ἀπὸ τῆς πονηρῆς, *libera nos, O DE-*
US, à malo. Hæc mens erat, cum
 elapso jam biennio actum in
 Gymna-



(o)

Gymnasio nostro oratorium de
tribus istis malis chronicis, veram
Ecclesiam etiamnum graviter af-
fligentibus, speciatim institue-
rem, & tum habitis quorundam
adolescentum declamationibus,
tum præmisso *programme*,
quid Speitantis in malis reliquum
esset, ostenderem. Tantum abest,
ut me letema illud leviculum cor-
datis atq; eruditis viris, iis quoq;
qui in luce Academica præful-
gent, nec omnino despiciunt pul-
verem Scholasticum, displicue-
rit, ut potius auctores extiterint,
ut, quod tunc tumultuaria quasi
opera scripleram, reviderem, au-
gerem, & nova indutum forma
publici luci exponerem. Parui
consilio benevolo, atq; ut denuo
prælo subjiceretur *programma*
istud, suo titulo ac paragraphis di-
stin-

stinctum, & quæstionibus quibusdam, ad hanc materiam spectantibus, auctum, permisi, ab æquis censoribus facilem mihi pollicitus veniam, quod exiguam hanc **SPEM IN FUNDO** latentem emittere ausus fuerim.

VESTRO autem nomine nobilissimo, *VIRI consultissimi ac Prudentissimi, Patroni piè de-
nerandi*, has pagellas inscribere volui, cum ut id, quod in Vestro Gymnasio natum erat, **VOBIS**, ceu par erat, consecraretur; tum ut meæ erga **VOS** observantiæ mentisq; gratæ pro beneficiis in peregrinum me, non tamen sine Numine huc vocatum, & quinquennio nunc inter **VOS** commoratum, collatis publicum extaret *τεκμήριον*. Accipite ergo chartaceum hoc & levidense sereno

reno

re(o)u
reno vultu, nec tam illud, quod
offertur, quam offerentis ani-
mum spectate, qui benevolentiae
vestrae se porro commendat, atq;
ut propullatis malis omnibus,
Civitati vestrae, sub augusti atq;
invicti HEROIS Brandenburgi-
ci imperio atq; tutela florenti,
VOBISq; omnibus, vestrisq; fa-
miliis suavissimis, perpetuo bene-
fit, DEUM, bonorum omnium
fontem inexhaustum, devotis sol-
licitare precibus nunquam pigra-
bitur

VESTER

Patroni optimi

Scrib. Berolini XII. devinctissimus
Kal. Octobr. A. O. R. M. SAMUEL
M. DC. LXXXV.

Rodigast/
Gymn. ConR.

I. N. J.



I. N. F.

§. I.



Ria potissimum, eaque chronica mala, & quasi apostemata, Evangelicam veritatem adhuc vehementer affligunt: extra Ecclesiam MUHAMMEDISMUS, terrendo & infestando; PAPISMUS in Ecclesia, seducendo & persequendo; JUDAISMUS, partim intra, partim extra Ecclesiae pomeria hærens, convitiando & repugnando.

§. II. Omnibus quidem temporibus cœtus, DEO addictus, suos habuit hostes; Sed non adeo diuturnos; Ut ab antiquis ordiar, dura servitute ab Ægyptiis premebatur gens Ebræa, sed annis minus ducentis. Tempore Judicum eadem à variis subinde hostibus vexabatur, sed definito tantum annorum numero, qui nunquam quadragenario fuit major:

A

jor:

jor : premebat Rex Mesopotamiæ,
 sed annis tantum octo ; sæviebant
 Ammonitæ & Moabitæ annis decem
 & octo ; infestabant Cananæi annis
 viginti invadebant Madianitæ, annis
 septem ; Philistæi tantum annis graf-
 sabantur quadraginta. Tempore Re-
 gum, post tribus in duo regna divisas,
 Assyrii & Chaldæi eandem DEI ele-
 ctam & dilectam gentem divexare,
 cœperunt : Quæ vero divexatio ab
 initio usque ad finem, id est, usque
 ad liberationem ex captivitate Baby-
 lonica caluit & valuit annis minus
 trecentis. Denique Rex Antiochus
 Epiphanes, & Successores ejus, ho-
 stes Judæorum infensissimi, eos ultra
 quadraginta annos non afflixerunt.

§. III. Verum, ut ad Christianum
 revertar populum, hic per decem fa-
 mosas illas Imperatorum Romano-
 rum persecutiones crudeliter excarni-
 ficatus est, sed post annos circiter du-
 centos & sexaginta ab immanissima il-
 la sævitie liberatus, Constantino M. ad
 fidem christianam accedente, atque
 Ecclesiæ Halcyonia & quietem con-
 ciliante.

§. IV. Ast hæc omnia diuturnita-
 te longe superant illa, quæ primo di-
 cebam,



cebam, mala: *Muhammedismus* quidem jam cœpit seculi septimi anno vigesimo secundo, vel, secundum alios, trigesimo, quo Muhammedes Pseudo-Propheta in Arabia floruit, emergere, cui primum Arabes & Saraceni, hinc Turcæ à Scythia egressi, aliæque gentes sua dederunt nomina. Propagatores ab initio habuit Duces quosdam & Principes ignobiles, qui cum prædatoria manu Persiam, Arabiam, Syriam, aliasque orientis regiones & urbes sub suam redegerunt potestatem, usque dum Osmanes vel Ottomanus, primus Turcarum Rex vel Imperator salutatus, sub initium seculi decimi quarti, Antecessoribus suis longe potentior, totam etiam Natoliam, sive Asiam minorem suæ ditioni adjecit, & Prusiam vel Bursiam, quæ Bithyniæ Metropolis erat, sedem Regiam constituit, filio à Orchane captam, postea confirmatam.

§. V. Circa ejusdem seculi medium ad Thronum evectus Amurathes I. fines Imperii Turcici latius protulit, domita maxima parte Græciæ & præstantissimis urbibus Callipoli, Philippopoli, Adrianopoli, quibus, Servia etiam & Bulgaria occupata, plurima vi

expugnata adiecit successor ejus Bajazethes, ille, si exitum spectes, Tyrannus infelicissimus. Quod in his adoleverat Muhammedes II. florentissimum reddidit Imperium, capta etiam post medium seculi decimi quinti Constantinopoli, quæ Christianorum Imperatorum ultra mille annos sedes fuerat splendidissima, expugnata insuper paucos post annos Trapezunte, Cappadociæ Metropoli, adeoque duobus Imperiis, Constantinopolitano & Trapezuntino perdomitis, Athenis quoque deletis & Peloponneso, hodie Morea, penitus subacta: Ægypto & aliis Africæ Provinciis à Selymo I. additis. Ad summum autem potentia culmen superiori seculo illud perduxit Solymanus, multis etiam Hungariæ locis munitissimis & maris mediterranei Insulis, in quibus Rhodus eminebat, subactis, à quo usque ad Muhammedem IV. jam Imperii habenas tractantem, in flore & vigore pristino, parum imminuto, perstitit. Atque adeò, si Muhammedismi originem primam ad annum Christi circiter sexcentessimum trigessimum referamus, usque ad hanc nostram ætatem mille & quinquaginta quin-

quinque annis viguit ipse, & multa, nunquam satis deploranda, Ecclesiæ Christianæ damna intulit.

§. VI. Ut vero pateret, nullam calamitatem esse solam, circa idem fere tempus, quo *Mubammedismus* in Oriente, *Papismus* & Antichristianismus in occidentepalam sese exeruit, postquam ineunte seculo septimo Bonifacius III. à Phoca, Mauritiï Imperatoris parricida, titulum œcumenici, siue universalis Episcopi obtinuit, quem tanquam Antichristianum Gregoriô I. cognomento Magnus, item Sanctus, antea vehementer impugnaverat nomen blasphemix appellaverat. (*Lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium*) & arragantiam Joannis Constantinopolitani Episcopi, hunc titulum usurpantis, aperte taxaverat: *in hac ejus superbia* (inquiēbat Gregorius *Epist. 34. ad Constantiam*) *quid aliud, nisi propinqua jam Antichristi esse tempora, designatur? quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere.*

§. VII. Qui ita in Bonifacio surrexerat Papismus, paulatim & gradatim crevit, in Gregorio VII. alias Hildebrando, præcipite seculo undecimo,

miris modis adolevit, utpote ex quo tempore gloriari cœperunt insolentes Pontifices, pessimo Hildebrandi exemplo, sibi omnia orbis imperia & Regna subesse, sibi convenire potestatem imperatores & Reges Majeſtate exuendi, & excommunicandi, subditos ab obſequio, ſuis Principibus debito, abſolvendi, imo ad perſequendos, qui excommunicati eſſent, Reges obligandi.

§. IIX. Equidem dupliciter Papatus conſiderari poteſt, vel ratione dogmatum, errorum & abuſuum, quibus imbutus eſt; Vel ratione poteſtatis, quam in univerſam Chriſti Eccleſiam ſibi arrogat. Papatus priori modo ſpectati, ortum & progreſſum diſtinctè definire difficile & prolixum foret: neque agrum intuentes, in quo

*Infelix lolium & ſteriles dominantur
avenæ,*

de tempore, quo zizania iſta ſucceverint, ſed potius de modo, eadem eradicandi, ſumus ſolliciti, quæ vero cura in hoc negotio Theologis committitur. Poſteriori modo conſiderati Papatus, videlicet, quatenus Monarchia, vel, ſi mavis, Tyrannis quædam

dam Ecclesiastica est, Romanæ sedi innixa, ortum & progressum paulo ante perstrinxi; eum vero historice & politice ex professo describere, artes etiam, quibus tanta potentia quæsitæ & hæctenus retenta est, eruere aggressi sunt alii, atque inter hos *Laurentius Banck, Academia Franequerana, Professor in Diascepsi eleganti de Tyrannide Papæ in Reges & Principes Christianos*, & novissime excellentissimi ingenii & iudicii Vir *Samuel Pufendorfus*, in politissimo tractatu *Ecclesiastica sedis Romane Monarchia*, Germanico idiomate, primum sub nomine *Basilii Hyperetæ*, ante septennium evulgato, & nunc *Ejusdem introductioni in historiam præcipuorum in Europæ Imperiorum ac Regnorum* ad calcem annexo, qui lectori harum rerum cupido exasse satisfaciet.

§. IX. Utramque Papatus considerationem non ita pridem scitè conjunxit Autor Anonymus (qui quidem se Romano-Catholicæ Religioni addictum profiteatur,) in tractatu eruditissimo, lectuque dignissimo; quem superiori anno ex Gallico in Germanicum sermonem translatum accepimus, hoc titulo inscriptum:

Sichere und ledliche Mittel zu Befeh-
 rung aller Ketzer / und heilsahme Rath
 und Anschläge zu reformation der Kir-
 chen. Illud jam evidens est, Papatum
 utroque modo acceptum ultra mille
 annos viguisse, & multas Ecclesiæ
 turbas dedisse.

§. X. Ad *Judaismum* devenio ho-
 diernum, cujus primordia statim ab
 ascensione Christi in cœlos arces-
 mus: postquam Judæi plerique Chri-
 stum unicum Servatorem mundo
 promissum & missum repudiarunt,
 Evangelio, ab Apostolis prædicato,
 pertinaciter, atque ut loquuntur Græ-
 ci, πῶς ἤτοι ἀπέχθη repugnarunt, & efflo-
 rescenti Christianæ Religioni infen-
 sissimos hostes se ostenderunt, no-
 vam ipsi orsi sunt, & retentis quidem
 V. T. libris, post Templi, Urbis &
 Reipub: suæ totius desolationem Sy-
 stema illud Talmudicum procude-
 runt, cui divinam civilis & Canonici
 juris, imo majorem, quam Mosaicis
 & Propheticis scriptis, autoritatem
 deferunt, & illud ubicunque terrarum
 degunt (exceptis tamen iis, qui in
 Orientalibus quibusdam Regionibus
 commorantur & Karaim i. e. Scriptu-
 rarij

varii audiunt) observant ac venerantur unice.

§. XI. Quam acerbi atque infensi hi sint Christianorum hostes, quicquid etiam exterius simulent, sola eorum precatiuncula prodit, quam in Synagogis quotidie adversus Apostatas & Christianos deblaterant, consignata à *Buxtorfio Synag. jud. c. V.* in editione aucta c. X. Fac enim, illam ex primaria & genuina Autoris, (quem nonnulli ipsum Josuam fuisse putant) intentione, adversus Christum Christianosve non fuisse directam, (quod nuper excellentissimus quidam Polyhistor intrepide pronuntiavit, sibi que probandum sumsit,) ab hodiernis tamen Judæis suo & recenti scelere eo dirigi, & aliàs etiam multa dici ac fieri, quæ in Christi vergunt contumeliam, à nemine facile negabitur. Quas enim blasphemias & calumnias contra nos, præsertim remotis arbitris, erucent, compendio recenset *D. D. Aug. Pfeifferus in in Dissert. de obtrectatore Apella*, quæ in fasciculo Philogicarum ejus est secunda §. 20. seqq. Quod etiam non omitant data occasione Christianis re ipsa incommodare, historiæ omnium,

A 5 tem-

temporum testantur. Quanta Muhammedanorum in Christianos sit saevities, quantum Pontificia Tyrannidis in Evangelicis persecutendis, & sub pristinum Romanæ servitutis jugum mittendis, sit studium, nostra etiamnum tempora loquuntur, & me tacente, ubique est in propatulo.

§. XII. Disquirendum modo restat, num à tantis & tam diuturnis malis aliqua ante Christi ad universale judicium adventum sit expectanda liberatio? Affirmant hoc, quotquot ex veteribus & recentioribus inter signa novissimi diei propria, ejusque jam instantis prænuncia, retulerunt GOGI & MAGOGI EVERSIONEM, JUDÆORUM CONVERSIONEM, & MAGNÆ BABYLONIS DESOLATIONEM. Primum potissimum colligunt ex *Apoc. XX. v. 8. 9.* ubi per Gogum & Magogum Turcas, Gentes, Scythicæ sive Magogicæ originis, ex Regione Turchestan in Armeniam, Syriam, & ulterius progressas, (ceutestatur ibi exstructa Scythopolis & Hieropolis, Magog appellata, apud *Plinium H. N. l. 5. c. 18. & 23.*) intelligendos esse, recepta multorum est sententia. Quam confirmat non negli-

gligenda Schindleri observatio in *Lexico Pentaglotto* in voce *Gog: Magog*, inquit, *Filius Japheti fuit, Gen. X. v. 2. & sunt Gog & Magog fratres Javan ex filiis Japhet: unde orta sunt duæ gentes Gog & Magog & ab iis Scythæ, qui Magogi dicuntur. Marcus Paulus Venetus quoque lib. 1. de Reg. Orient. c. LXIV. refert, in Tataria esse regiones Gog & Magog, quas illi populi nominant Lug & Mungug, quem locum Schindlerus citans pro Lug scribit Jug, sed putat legendum esse Gug, Cornelius à Lapide legit Dug; verum Gog lingua Tatarica vocari Gon Ung & Magog Munibul ibidem annotat Vir πολυμαθὴς τῷ* Dn. ANDREAS MÜLLERUS, pag. 56. plura autem de his prodidit in *Scrutinio Fatorum Gogi, Stetini anno 1662. excuso, quod quidem in paucorum manus apud nos pervenit. Gogum & Magogum dictos esse Scythas Hyperboreos prope Caucasum montem, sic dictum quasi Gog Hasan, i. e. Gogi Munimentum, pluribus etiam demonstrat Vir linguarum & Geographicarum rerum callentissimus Samuel Bochartus lib. III. Phaleg. c. XIII. qua de re prælaudatum Scrutinium etiam quædam monet.*

§. XIII. Quod vero attinet ad ipsum locum *Apoc. XX* in eo plura, quorum obscurior est interpretatio, prædicuntur (1.) *Draconem sive Satanam ligandum fuisse mille annis*, ne superesset illi facultas seducendi gentes *v. 2. 3.* Initium horum mille annorum communis sententia, à Gilberto Genebrardo, Ord. Benedictini, Archiepiscopo Aquensi, & regio Sacræ Linguæ Parisiis Profess. in Chronolog. & multis aliis olim proposita, à qua non temere recedendum puto, sumit à seculo IV. & tempore Constantini M. quo Imperatores cœperunt esse Christiani, & Ethnicæ persecutiones pariter contra Christianos & Idololatriæ, quibus Diabolo litabant, desierunt. (2.) post elapsos illos mille annos *Draconem antiquum & Satanam solutum, congregaturum esse in prælium Gogum & Magogum adversus Sanctos v. 8. 9.* Hoc putant factum, invalescente Turcici Imperii potentia, sub finem seculi XIII. & initium seculi XIV. sæviente in Christianorum Orientalium territoria Ottomanno, primo Turcarum Imperatore: Nam à Constantino M. quo imperante videtur ligatus fuisse Satanas, usque ad hunc Ottomannum mille circiter
 anni

anni transferunt. (3.) *Innumerabiles Gogi & Magogi copias adscensuras esse super latitudinē terræ, & circumiteras castra Sanctorum & civitatem dilectam v. 9.* Hæc facta tempore non Ottomanni tantum, sed & Amurathis, Bajazethis, & Muhammedis II. qui truculenta manu castra Sanctorum, præstantissimas Asiæ minoris urbes, potissimum illas septem, quas Evangelii luce illustres, ipse Spiritus S. sacro in Apocalypsi alloquio dignatus fuit, quasque Johannis vaticinium maxime videtur respexisse, invaserunt; Pergamum puta, Thyatiram, Sardes, Laodiceam, Ephesum, Philadelphiam; & Smyrnam, quarum duæ posteriores aliquo quidem hoc nostro ævo splendore gaudere dicuntur; Sed Christianis ibi paucis sub Turcarum Tyrannide gementibus; quinque vero priores ita, fœdatae & vastatae, ut ignobilium tantum viculorum speciem præbeant, nec alios incolas, nisi pastores, bubulcos, & hortulanos alant, ut testatur *Thomas Smith in notitia septem Ecclesiarum Asiæ*, quas ipse ante hos quatuordecim annos obiit & lustravit. Tandem Muhammede II. Duce impetus factus in Græciam, & dilectam urbem

Con

Constantinopolin, quæ anno Christi
 1453. ipsis Pentecostes feriis expugna-
 ta & misere devastata fuit. Hæc san-
 cta urbs etiamnum concultatur à gen-
 tibus Muhammedanis, *Apoc. XI. v. 2.*
 Hoc fuit triste illud tempus, quo qua-
 tuor perditores Angeli, ad Euphra-
 tem antea ligati, nunc vero soluti, cum
 immenso agmine irruerunt, & tertiam
 hominum partem occiderunt igne, fu-
 mo atque sulphure, *Apoc. IX. v. 14. 15.*
 per quos quidam non incommode in-
 telligunt, quatuor populos Muham-
 medanos, ex Arabia, Armenia, Meso-
 potamia & Chaldæa ad Euphratem in
 Natoliam & Græciam egressos, nem-
 pe Saracenos, Turcas, Tataros, Persas,
 qui & doctrina & disciplina, & Tyran-
 nide tertiam mortalium partem con-
 sumferunt, morte tum temporali tum
 spiritali. (4.) *Ignem à D E O è cælo de-
 scensurum, & sevos hos Ecclesie hostes con-
 sumturum v. eod.* Quo Turcarum no-
 tabilem cladem, aut ipsum excidium,
 divina ope futurum, prædici pervul-
 gata nec improbabilis est opinio. Ve-
 rum quando hoc futurum sit, an ipso
 Christi adventu ad iudicium, quando
 omnes impios igni adjudicabit infer-
 nali, an aliquo ante Christi adventum
 tem-

temporis tractu, ambigitur, nec apparet, unde omnimoda desumi possit, certitudo.

§. XIV. Turcas longius progeffuros ante novissimum diem, Italiam totam, quin ipsam Romam occupaturos, & depopulatuos, tandem etiam in mediam Germaniam involaturos, & post exhaustam favitiam ad Rhenum igne cœlitus demisso, vel alio modo, occubituros esse, inane quorundam somnium est, nuper tamen scriptis quibusdam denuo propalatum. Expugnata jam ante ducentos, & quod excurrit annos, à Turcis est Roma, videlicet nova illa Roma, Constantinopolis: Occupata est tota Thracia, quam Italiam novam, & Romaniam dici inter omnes constat. Quid aliud vaticiniorum hac in re complementum quærimus? Ceterum aliis dijudicandum relinquam, quid tribuendum sit illorum conjecturæ, fanè non insulsæ, qua ex *cap. IX. Apoc.* tempus durationis Imperii Turcici colligi posse, autumant, ubi quatuor illis vastatoribus Angelis sive populis, Dei permissis egressis, assignatur, *hora, dies, mensis, & annus*: Per annum intelligunt (quod in hujusmodi Propheti-

cis

cis vaticiniis fieri solet) annum Angelicum. h. e. spatium annorum civilium 365. per mensem itidem Angelicum, nempe annos triginta; per diem annum unum, per horam semimensem. Igitur Imperium Turcicum ultra quadringentos annos non duraturum coniectant, cujus periodi initium si repetamus à tempore Ottomanici, à quo totum Imperium vigorem accepit, & hodiernum Porta Ottomanica dicitur, finem ejus non procul abesse concludetur: vid. Viri Excellentissimi Dn. Johannis Schilteri *Tractatus de fatis Ecclesiarum §. XXX.* egregio ejus operi *de libert. Eccles. German.* annexus.

§. XV. Sunt, qui omine non vacare monent, quod eodem seculo, quo familia Ottomannica in Oriente surrexit, & dominatum adeptam est, in occidente quasi ex adverso augusta Familia Austriaca exsplenduerit in Rudolpho Habsburgensi, non sine singulari DEI providentia, sublato inter Regno, ad Cæsareæ Majestatis fastigium evecto, quod etiam continuata multorum Imperatorum successione (rarisimo certe exemplo) etiam nunc inclyta illa Familia obtinet. Similiter

ter non sine fato contigisse existimant nonnulli, quod invictissimus noster LEOPOLDUS, ac Turcarum Muhammedes IV. qui hodie summis Imperiis præsunt, & potentissimus Galliarum Rex LUDOVICUS XIV. annos nativitatis admodum confines habeant, quandoquidem hic A. C. 1638. d. 5. Septemb. Iste anno eodem vel juxta alios, sequente 1639. Ille A. C. 1640. d. 9. Julii in hoc lucis & orbis Imperantis theatrum producti commemorantur, de principatu Europæ inter se quasi certaturi. Sed faxit DEUS, ut omnia dextra omina rata, sinistra irrita sint, Christiani Principes conjunctis armis & animis contra externum hostem strenue dimicent, atque adeò *quicquid hæcenus infortunii sensit Christianus orbis, in exitium Turcæ vertatur, quin tandem antiquum Augusto nostro ex oriente redeat decus, amissa Venetis restituantur*, quo pio voto Cl. Vir. Dn. Conradus Samuel Schurzleischius, nervosam & acutam suam *de actionibus Turcarum* disputationem, ante quinquennium Wittenbergæ habitam, obfignat. Sed satis de Gogi & Magogi ortu progressu & interitu.

§. XVI. Futuram Judæorum conversionem deducunt Autores ex Rom.

XI. v. 25. & 26. ubi Paulus mysterium detecturus Gentiles suos convertos docet, quod *πώρωσις* sive *excœcatio* *acciderit* *Israëli ex parte*, tantisper duratura, dum plenitudo gentium advenerit, plenitudine autem gentium ad Christum conversa, cessaturam esse illam *Israëlis excœcationem*, & qui reliqui erunt, Judæos ad saniores mentem redituros, ut adeò aliquando *totus salvetur* *Israël*. Hæc accipienda esse de Israële secundum carnem, sive de stirpis Judaicæ posteris, inde patet, quia Paulus ejus conversionem prædixit Gentibus convertis, ut eos à fastu avocaret & insolentia, qua aliàs adversus Judæos potuissent se efferre, jactitantes, hos à Deo in perpetuum rejectos, se autem in gratiam receptos, id quod contextus ostendit. Porro Apostolo sermonem esse de conversione Judæorum magna & admodum notabili, inde colligitur, quod (1.) conversio hujusmodi dicitur *μυστήριον*, particularis autem & successiva Judæorum conversio mysterii nomine, non potest censeari, utpote quæ subinde in Ecclesia facta est, & fieri solet. (2.) Additur, sic salvatum iri totum Israëlem, *καὶ ἔτι πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται*, v. 26. quæ verba nimis sunt manifesta, & vix sine
de;

detorsione de particulari conversione
possunt explicari.

§. XVII. Igitur qui textui Pauli-
no innituntur, probabile existimant,
Judæos, qui tot seculis alterius Mes-
siæ adventum frustra expectarunt, tan-
dem aliquando oculos mentis, pene-
trante clarissimo divinæ gratiæ lumi-
ne, aperturos, Messiam dudum venis-
se agnituros, eumque non alium,
quam JESUM Nazarenum, Mariæ
filium esse, credituros: Majorem huic
opinionem probabilitatem conciliat, Ju-
dæorum confessio, dum hodiè tem-
pus Messiaæ à Daniele prædictum &
prædefinitum, dudum præterlapsum
esse non inficiantur amplius, imo qui-
dam fateri dicuntur, Messiam quidem
venisse, sed sibi nondum esse revela-
tum. Habet sententia illa de Judæo-
rum conversione Patronos magnos
omnium partium & nationum Theo-
logos, quorum prolixum Syllabum re-
fert *Gisbertus Voëtius, T. II. disp. select. disp.
de generali Judæorum conversione.* Plero-
rumque testimonia vir pietate & eru-
ditione insignis *D. D. Phil. Jac. Spenerus,*
nuper in addita piis suis desideriiis ap-
pendice produxit *p. m. 345. & seqq. edit.
Germ. De eadem & quidem omnibus nu-*

meris absoluta gentis Judaica conversione,
ante decretorium mundi diem eventura
optima quæque ominatur Vir inclytus
Dn. Job. Christoph. Wagenseilius, in præfat,
ad Opus suum arcanis Judaicis refertis-
simum, quod *Tela ignita Satana* inscripsit,
p. 88. & præter alios divinos vaticinatores
imprimis Paulum Apostolum eam prædixisset,
omnem uno Hieronymo de *temporiam antiqui-
tatem*. & ex posterioribus quoque, viros morum
sanctissimorum, & inter Θεολογικωτέρας
numerandos, credisse, affirmat.

§. XIX. His tamen non obstanti-
bus alii in aliam abierunt sententiam,
& Paulinum locum vel de particulari
& successiva Judæorum conversione,
vel de Israële secundum Spiritum i. e.
omnibus credentibus, intellexerunt.
Allegat quosdam quibus tamen ipse
non accedit, celebris inter Anglos
Theologus Job. Prideaux, in operibus
*Theol. parte 2. orat. 6. Sunt, inquit, qui
Israëlem allegorice hic exponunt, pro DEI
populo ex gentibus & Judæis collecto, & suf-
ficere existimant ad Apostoli vaticinium, si
ex Judæis aliqui subinde quovis seculo ad fi-
dem convertantur. Sic Bucerus, Melanch-
thon, Faber, Oecolampadius, Calvinus, &
omnes fere Lutherani. Selneccerus habet
illos pro Fanaticis, qui aliter sentiunt. Hos
etiam*

etiam secutus *August. Marloratus, ad cap. XI. Rom. vaticinium de Judæorum conversione sic intelligens, dicit; futurum esse, ut subinde usque ad finem mundi aliqui ex Judæis convertantur. Imo ipse B. noster Lutherus Tom. VIII. Jenens. Germ. pref. in librum de Schemhamphorasch. fol. 109. Tom. VIII. Altenb. f. 277. cum plura gravius in Judæos dixisset, his concludit verbis: Vom ganzen Hauffen mag hoffen wer da will / ich habe da keine Hoffnung / weis auch von keiner Schrift: Denn daß etliche aus der Epistel zum Röm. am II. Cap. solchen Wahn schöpfen / als solten alle Jüden befehret werden am Ende der Welt / ist nichts / und Paulus meinet gar viel ein anders. Alia tamen mens fuit B. Lutheri, quam prodidit in *Postill. Eccles. in F. S. Stephani*, verba ipsa ex primis editionibus adducit, & in posterioribus editionibus à sciolo quodam ultimam eorundem particulam minus prudenter exsculptam esse, substitutis aliis, ostendit antea laudatus *D. D. Spenerus tract. cit. p. 356. & seqq.* De eadem conversione fratrum suorum secundum carnem illis, ex B. Luthero citatis, gemina scribit, & impossibilem eam judicat *Antonius Margarita, ex Judæo Christianus**

stianus factus, & superiori seculo Lipsiæ Hebraicæ linguæ Professor in *tractatu de religione Judaica*, his in Judæos duris verbis, formulis tamen ex Talmude desumptis, usus: Wenn alle Himmel und Erdreich Pergamen / und alle Wasser auff Erden mit samt dem Meer Dinten / und alle Hölzer Schreibefedern / und alle Einwohner des Erdreichs Schreiber wären / und schrieben alle Tage und Nacht auff das allerfreundlichste / und brauchten eitel wahre / klare / helle Schrift wider die Juden / und ihre verstockte Herzen / und probirten in solchen Schreiben den wahren Christlichen Glauben / daß der Messias kommen wäre / der aller Menschen Sünde auf sich genommen hat / würde man dennoch nicht einen Juden zum Christlichen Glauben bewegen. Sed an ne oblitus erat *Margarita* gratiæ sibi à Deo præstitæ, & aliis sui similibus pariter non denegatæ? Annon credebat *Margarita*, eandem *Margaritam*, de qua Christus *Matth. XIII. 45* loquitur sibi monstratam, etiam alios Judæos Dei benignitate posse invenire?

§. XIX. Interim certum est, quod complures nostræ etiam religionis Theologi mitius de Judæis senserint,

eorumque conversione, cui è veteribus, *ὡν ἐν αἰσίοις*, favent nominatim, *Balduinus, Meisnerus, Menzerus*, uterque *Hunnius, Hafenrefferus, Grauerus, Kungius, Winckelmannus, Wilhelmus Schickardus*: ex recentioribus partim superstitibus partim beatis, *Johannes Museus, Seb. Niemannus* uterq; quondam in Academia Jenensi Doctor mihi fidelissimus, ille etiam hospes post fata venerandus, *Christ. Ravins, & Matth. Wasmuthus* uterque Hebr. linguæ Prof. P. ille quondam in Upsaliensi, postea Francof. hic etiamnum in Kiloniensi Academia. Placet insuper ipsa unius alteriusve ex Protestantibus Theologi verba adducere, quæ Paulini illius oraculi sensum distinctius exponunt. Ita autem *D. G. Calixtus* in lib. de signis extr. Judic. p. 27. *Gentes, quæ hæctenus ad Christum conversæ non sunt, & ipsam obstinatissimam Judæorum gentem tandem conversum iri, hæud obscure docet S. Paulus Rom. XI. 25. Nolim, inquit, vos, qui è gentibus fidem Christi amplexi estis, ignorare mysterium hoc, rem arcanam, & quæ, nisi à DEI Spiritu revelaretur, notitiam nostram subterfugeret, ut nositis apud vosmet ipsos sapientes seu insolentes, ne vobis nimium placeatis, & Judæos quasi à Regno Christi penitus & in perpetua-*

um exclusos, aversemini & contemnatis.
 Mysterium autem illud ipsum est, obduratio-
 nem ex parte Israël obvenisse, nempe ex ma-
 jori parte, (nam qui è Judæis crediderant,
 præ aliorum obduratorum & incredulorum
 multitudine paucierant) tantisper, dum ple-
 nitudo gentium introierit: & ita totus Is-
 rael servabitur, fietque, ut, quemadmodum
 tota Germania (verbi gratia) Christiana
 esse dicitur: ita quoque totus Israël Chri-
 stum accepisse dicatur. Cui rei non magis,
 quam nunc hic inter nos, obstare poterit
 mixtura, improborum vel hypocritarum, &
 ne quidem, etiamsi tunc quoque nonnulli
 forte Christo nomen dare abnuerint, modo
 præ reliquis pauci sint. Nihilominus
 populus Israëliticus sicut hodie inter infideles
 ponitur, ita tunc fidelibus annumerabitur.
 Et mox: Quamdiu itaque tot tantæque
 gentes foris sunt, nondum plenitudo genti-
 um introiit, introire igitur oportet, & inde
 ipsam quoque pertinacissimam Judæorum
 gentem accedere, priusquam adsit dies Do-
 mini. Et porro: Quo majore autem
 nisu hodiè orbem terrarum peragrant, &
 propius sive ad Sineses, sive ad quascunque
 alias barbaras, hætenus ignoratas, gentes
 accedunt, eo magis cum harum ipsarum, tum
 Judæorum conversio, & ipsa quoque Πα-
 ράθερα τῆς δόξης ἔμεγαλα θεῶν καὶ σωτη-
 ρία

εὐνοῶν ἰνοῦς Χρῆστῶν, appropinquat. D.
 Andreas Keslerus in Dissert. Theol. Inaugu-
 rali Jenæ habitæ anno M. DC. XXVII. de di-
 ctorum V. in N. T. allegatione c. 1. Tb. 7.
 hæc scribit: Vaticinium ut complendum
 allegat Paulus. Rom. XI. 26. locum Es. LIX.
 20. Adveniet ex Sion ille, qui liberat futurum
 enim esse, innuit, ut magna Judæorum co-
 pia ante extremum diem convertatur ad
 Christum, quod intelligitur ex toto contextu.
 Loquitur de Judæorum Gente, gentilibus
 opposita. Ergo non intelliguntur Israelitæ se-
 cundum fidem, ut Rom. IX. 7. sed ii, quibus
 excæcatio facta erat v. 25. Loquitur de con-
 versione post introitum gentium, & post ex-
 cæcationem. Ergo de futuro. Loquitur
 ad Gentiles conversos, præmonendos, ne con-
 temnant Judæos, qui cum naturales sint,
 propria olea facilius inseri possint. Ergo de
 populi Judaici futura conversione vaticina-
 tur, qua licet non omnes omnino Judæi, ta-
 men magno numero sint convertendi. Ipse
 tandem D. J. C. Danbæuerus in Apocalypsi
 Mysteriorum Apostolici, postquam multa de
 variis interpretum sententiis disputa-
 verat sect. II. art. II. hæc subjicit: nul-
 lum tempus est, adeoque nec novissimum, in
 quo vel non possit, vel non velit DEus Gen-
 tem Judaicam convertere vel quo hæc con-
 verti non debeat. Etsi enim contumacia

Judaica hodierna, ordinaria, ut sic dicam, securi perfringi nequeat, poterit tamen, si cunei adhibeantur, poterit clarum mane intrare fenestras, si obices removeantur, poterint, si non magna segetes, manipuli tamen in Christi horrea comportari etiam ordinaria via. Non est absolute impossibilis conversio Judaica: neque enim implicat contradictionem; est tamen ἀδύνατον τι τῶ μὴ γαδίως, unde ταχὺ ἢ καλῶς, ut Philosophus distinguit lib. 1. de cælo. cap. XI. textu III.

§. XX. Neque etiam quid absurdi, fanatici, aut impii placidæ huic sententiæ infit, apparet. Omnia sperat Charitas Christiana, quidni & Judæorum conversionem? etsi non simpliciter, tamen secundum quid universalem, h. e. admodum notabilem, & quæ respectu ceterorum, qui non convertuntur, Judæorum, quandam quasi universalitatem constituat, quam quoque non sperare solum pium fuerit, sed & optare, & cum aliis mediis legitimis, tum precibus, ad Christum ardentius suspirare, ut ipse verus animarum pastor innumeras in montibus incredulitatis & impietatis oberrantes Israëlitis oviculas non ultra infernali lupo prædæ esse sinat, sed ad Ecclesiæ ovile perducatur, & tandem ex nobis usque unam efficiat gregem, quod CL. Wagen-

genfeilii consilium & votum est. Bene iterum B. Danhauerus *c. l. art. iii.* magnum fuit sine dubio paradoxum, audire virgam Aaronis aridam reflorescere; nec minus, si quis dixisset, ficum illam, quam Dominus execratus est, ne fructum ferret amplius, nova generositate imbutam, fructus producere: ad tale, quod fore Apostolus annunciat, Gentem arefactam, excisam, abjectam, vita spirituali revideturam. A seculo auditum non fuit, oculos apertos esse caeco nato Job. IX. 32. Absonum est ab auribus humanis, salvari hostes & latrones tam virulentos, qui salutis auctorem occidissent; at talia fore, Apostolus hic praecinuit. Et ferme sub finem artic. III. Quis non toto pectore voveat, optet, & contendat ad procurandam adhuc Judaicae gentis illuminationem plenioram, etiamsi tandem certo promittere non ausit? Hanc enim conversionem cum Isaaco Payzerio, illo Praadamitarum satore, maleferiato in ista, quam scripsit $\pi\epsilon\sigma\sigma\theta\omega\upsilon\eta\sigma\epsilon\tau$ ad Synagogas Judaeorum universas, quot . quot sunt per totum terrarum orbem sparse, inter fidei articulos certo credendos, referre aliisque credendam obtrudere; aut cum exoptatissima Judaeorum in terram Canaan reductione simulque Politicae Mosaicae & Hierosolymorum

re-

restitutione conjunctam, somniare, quod Chiliastræ faciunt; vel, efficaci reverforum in hanc vitam Henochi & Eliæ prædicatione promovendam, cum pontificiis fingere, nemo orthodoxorum audebit.

§. XXI. Reliquum est, ut pauca addantur de tertio sperando, quod inter peculiaria novissimi diei signare ferri solet, nempe *Magnæ Babylonis destructione*. Hanc futuram esse probant potissimum ex *Apocal. XIV. v. 8. cecidit Babylon magna, quia vinum excandescentie scortationis suæ potandum præbuit omnibus gentibus. cap. XVIII. v. 2. 5. 6. cecidit, cecidit Babylon illa magna, & recordatus est DEUS scelerum ipsius: reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplum secundum opera ejus, in poculo, quod propinavit, propinate ei duplum.* De Babylone loquitur vaticinium, non Chaldaica, quæ dudum everfa fuerat ante tempora Johannis Evangelistæ; nec Ægyptiaca, quæ urbs Alcair, vel Cairo est, sed Europæa, de ἐπιγαλοφω Babylone, qua Romam intelligi, non Ethnicam & qualis erat ante fidem Christianam admissam, quod Baronius ad A. C. XLIV. Bellarminus in *append. ad lib. de Papa Rom. c. V.* & alii Pontificii facile

cile largiuntur; sed Romam qualis futura erat post fidem acceptam, sub Antichristo autem abnegatam, constans nostrorum Theologorum sententia, est; nec possunt hoc Pontificii, ab affectibus non præoccupati, diffiteri, inter quos sunt Jesuitæ, aliis candidiores & modestiores, *Fr. Ribera, & Cornelius à lapide, in Comment. in Apoc. statuentes*, Babylonis nomine intelligi Romam non solum Ethnicam, sed etiam qualis sit futura post susceptum Christianismum, sub, nescio quo, Antichristo. Idem agnovit M. Antonius de Dominis *l. IV. de Republ. Ecclesiast. §. 15. seqq.* & Nicolaus de Clemangis Theol. Doctor & Archi-Diaconus Bajocensis in Gallia, Viri, Melanchthonis testimonio, per omnia magni, Joh. Gersonis, Cancellarii Parisiensis, à Pontifice, quod reformationem Ecclesie Romanæ in Concilio Constantiensi plurimis rationibus urserat, omnibus fortunis spoliati, & extra Patriam dignitatemque Lugduni, ubi privatam vitam degerat, defuncti, discipulus, qui egregium librum *de corrupto Ecclesie statu*, conscripsit, repertum in Bibliotheca Vaticana, & initio hujus seculi editum, *cujus capite XXVI.*

Ecu

Ecclesiam Romanam compellans, ait: *sed fac eorum (Prophetarum V. T.) vaticinia alio spectare, quid de tua Prophe-
tia, (de Johannis scilicet in Apocalypsi)
censes? annon illam saltem ad Te aliqua
ex parte pertinere putas? num pudorem
ita cum sensu perdidisti, ut hoc neges? illam
ergo intuere, & lege damnationem magna
meretricis, super aquas multas sedentis, il-
licque tua facta præclara contemplare, &
tuos futuros casus.* Flacius hunc Au-
torem circa A. C. 1416. floruisse refert,
in *Catalog. Test. verit. p. m. 793.* Ubi de
ejus vita & scriptis plura videantur.

§. XXII. Accedat egregium & ve-
rè regium de hac re testimonium, quod
verbis famigerabilis inter Reformatos
Theologi, D. Samuelis Maresii in annot.
ad *System. Theolog. Loc. XVII. §. XXXIII.*
p. m. 971. referre placet: *Quam multi
ante reformationem Pontificem Romanum
Antichristum censuerint, ex Catalogo testi-
um veritatis (cujus Flacius ille illyri-
cus autor est) & illustris Plessai Mornai
Mysterio iniquitatis repeti potest. Non-
dum erat auditum Lutheri nomen in Euro-
pa, cum Ludovicus XII. Rex Gallie bellum
moturus contra Pontificem Julium II. (quod
factum post initia seculi superioris,
anno circiter M. D. X.) curavit monetam
cudi*

*audi auream cum sua effigie, ab una parte,
& hoc elogio circumscripto, insignibus Gal-
lie ab altera: PER DAM BABYLONIS
NOMEN. Quam perditionem Romæ
intentatam fuisse, quis dubitat?*

§. XXIII. Proinde stantibus his,
quæ ex medio Papismo adduxi, te-
stimoniis, Romam magnam illam Ba-
bylonem esse extra omnem dubita-
tionis ad eam ponitur. Nunc de sen-
su vaticinii illius Apocalyptici paucis
dispiciamus. Quemadmodum supe-
rius de Gogo & Magogo vaticinium
verbis *Ezechielis ex. c. XXXVIII. &
XXXIX.* de scriptum erat: Ita hoc
verbis *Jes. c. XIII. v. 21. & Jeremie c. L.
â versu 29. usque ad 40.* ubi de Babylo-
ne vetere vaticinati erant Prophetæ,
â Johanne conceptum, & ad novam
Babylonem, Romam, applicatum est,
nomine & rebus retentis, quia hæc Mo-
narchiæ Anti-Christianæ sedes non
minores Ecclesiæ Christi illatura erat
clades & afflictiones, quam Babylon
ista vetus, Assyriorum Monarcharum
Metropolis, Ecclesiæ V. T. intulit.
Huic novæ Babylo ni excidium & de-
solationem extremam â Johanne de-
nunciari ex toto contextu manife-
stum est; adeo quod Romam esse destruen-
dam vix restat dubium. §. XXIV.

§. XXIV. De modo autem hujus destructionis non æque liquet. Sunt qui putant, vaticinium non esse accipiendum de excidio Physico, sed de spirituali & mystica desolatione, quæ fiat per falsam doctrinam, superstitionem & Idololatriam, per quam Roma fit facta habitatio Dæmonum, & custodia omnis Spiritus immundi, civitas meretrix, in quam totius orbis Dæmonia confluxerint: ut adeo Diabolus cum Angelis suis, stabilito Antichristi Regno, sedem suam Romæ quasi fixerit, ibique idololatria & multiplici superstizioso cultu afficiatur. Obtinente vero hac explicatione Vaticinium illud dudum esset impletum, & proinde inter signa propria, diem extremum antegressura, non posset recenseri. Alii, literæ strictius insistentes, Physicum Romæ excidium vaticinio illo innui contendunt, hoc imprimis urgentes, quod Johannes utatur iisdem fere verbis, quibus de excidio Babylonis veteris vaticinati sunt Jesaias & Jeremias: Quia igitur illud vaticinium in Babylone vetere, Physice destructa & devastata, ad litteram fuit impletum, alterum etiam vaticinium Apocalypticum de Babylone

lone nova ad litteram esse implendum colligunt, & proinde Romam ante Christi adventum funditus evertendam, ita ut non amplius hominibus habitaculum præbere possit, sed Dæmoniorum, Spirituum immundorum, & ferarum spelunca sit futura. Quæ ratio quidem non satis cogens est, cum in typicis prædictionibus frequens sit, ut, quod in typo ad litteram fuit impletum, in antitypo mysticè impleatur; Interim tamen Physicum Romæ excidium ob aliàs etiam rationes nec impossibile nec improbabile à multis judicatur. Extant de hoc multa etiam Sibyllina, (ex quibus illud tralatitium: *ἔσται ἡγοὶ ῥώμην ῥώμην; Roma-que vicus erit*) vaticinia & omina, quæ huc transcribere longum foret; prodiit anno 1655. Londini libellus Anonymi, sub hoc titulo: *Rome ruina finalis, à Maresio in annot. ad systema Theologicum*, semel iterumque citatus, cujus vero inspiciendi copia mihi nondum data fuit.

§. XXV. Sane Romam militum manu expugnari & diripi posse, multa superiorum Seculorum experimenta docuerunt: Expugnata fuit Roma, jam Christiana olim à Gothis, Vandalis,

C

lis,

lis, Longobardis; Postea ab ipsis Germanorum Ducibus & Imperatoribus, quos contemptui habuerat, Arnulpho Franco, Ottone III. Saxone, Henrico IV. Franco, & superiori seculo à Caroli V. exercitu. Utinam errores & abusus, quorum satis convicta est Roma, & quos nihilominus pertinaciter non calamo tantum & lingua, sed flamma quoque & ferro defendere pergit, eadem facilitate possent expugnari & corrigi! Sed spes ferme omnis decolat, quamdiu Roma futilem illam *ἀπληθείαν* opinionem mordicus tenet & tuetur. Fieri enim vix potest unquam, ut peccati ducatur pœnitentia, qui se non posse peccare solerter adstruit. Ægrotare se non posse gloriatur Roma; Cur ergo medicinam illi meditamur? infallibilitas & independentia Romanæ sedis unicus ille tibi-
cen est. cui omnes ferme fidei Romanæ articuli innituntur: Hoc stante Babylon illa magna quoad dogmata sua stabit, & suum dominatum propugnabit; hoc vero subruto, ceciderit Babylon, ceciderit, & in cineres turpiter abierit: Quemadmodum jam in multis Europæ regionibus, absoluto necessariæ reformationis negotio, cecidit
illa

illa papalis infallibilitatis & supremæ
 potestatis columna, imo etiam in Gal-
 liæ Regno, ubi eam plures labefactant,
 & hoc nostro ævo ex ipsis doctoribus
 Sorbonicis Edmundus Richerius, pu-
 blicis scriptis impugnavit, nec non in
 Republ. Veneta, admodum cœpit
 vacillare, citius, nisi à Jesuitis, devin-
 ctissimis purpuratæ meretricis Gna-
 thonibus sustentaretur, collapsura;
 Sed & hoc divinæ providentiæ, & fu-
 turo eventui, certiori omnium vati-
 ciniorum Magistro, committimus.
 Faxit vero DEUS T. O. M. *ὁ δὲ
 ναίμεν ὑπὲρ πάντων ποιῆσαι ἐν τῶν
 ὧν αἰτέμεθα ἢ νοῶμεν*, ut MUHAMME-
 DISMUS evertatur quoad opes &
 potentiam; JUDAISMUS quoad su-
 perstitionem & contumaciam; PA-
 PISMUS quoad abusus & doctrinam,
 verbo DEI non consonam, veraque
 hinc Ecclesia augeatur, propagetur &
 confervetur in his terris, usq; dum uni-
 versa mundi machina corruet &
 perfectus aderit omnium
 malorum

F I N I S.

C 2

Questio

Quæstio I.

Cur Turcicum imperium, cum sit Tyrannicum, huc usque adeo stabile & diuturnum fuerit?

Tyrannicum rectè dici imperium, Turcicum, facilè concesserit, quicumque consideravit, quod summus in eo princeps proprium omnino commodum spectet, commodo subditorum multum posthabito: porro quod subditos servorum ac mancipiorum loco habeat, quantum ad honores & possessiones externorū bonorum attinet, quos etiam, quantumvis optimè meritos, & bonis & vita privat pro lubitu, omnes etiam æmulos, quos rapturos prius, quam expectaturos, esse imperium prævidet, maturè de medio tollit, ne fratribus quidem aut liberis parcens. Quam quidem tyrannidem ut Sultani stabiliant, & quam diutissimè tucantur, subditos student habere abjectos, pauperes, rudes, inermes, inter se dissidentes: alunt exploratores, delatores, insidiatores

tores plurimos, quibus magna propo-
 sita sunt præmia, si quicquam tyran-
 nidi adversum indicent: denique cu-
 rant, ne imperio suo subjecti, præfer-
 tim ii, quorum ministerio in bellicis
 functionibus utuntur, ab ullius exter-
 ni populi aut principis patrocínio
 unquam pendeant, quas præcipuas re-
 tinendæ tyrannidis artes esse, jam
 olim in Politicis docuit Aristoteles.
 His accedit ingens vis ac potentia bel-
 lica, quæ tanto metu continet subdi-
 tos, ut ne hiscere quidem contra eam
 audeant. Quoniam tamen, recte ju-
 dicante Sallustio *Serm. 1. de Ord. Republ.*
cuncta imperia crudelia magis acerba, quam
diuturna sunt, neque quisquam à multis me-
tuendus est, quin ad eum ex multis formido
recidat, non immeritò miramur, cur à
 tali metu reciproco immunes vivant,
 tyranni Turcici plerique? Paucos
 enim insidias militum suorum metu-
 endas aut subeundas fuisse, cognovi-
 mus. Sunt, qui Portam Ottomanni-
 cam singulares ob causas ab ipso DEo,
 supremo omnium imperiorum arbi-
 tro, sustentari autumant, vel potius
 tolerari, utpote qui forsan laudabilia
 quædam in hac gente probet. Etenim
 primum Turcæ animos habent à vana

idololatria gentiū alienissimos, propter
quam multas gentes à Deo exstirpatas
esse constat. Deinde utut Turcæ sævam
exerceant dominationem, ad consci-
entias tamen hominum eam non ex-
tendunt: Christianos suæ ditioni
subjectos, ut in Græcia, Syria, Ægy-
pto, Christianam religionem abnega-
re non cogunt: imo tolerant in terri-
toriis suis quatuor Patriarchatus Chri-
stianos, Constantinopolitanum puta,
Antiochenum, Alexandrinum & Hie-
rosolymitanum, nec non multa tem-
pla & monasteria, servant in terra san-
cta sepulchrum Christi & Christianis
aditum ad illud permittunt. Si quan-
do aliter agatur cum Christianis, id ex
accidenti, Satraparum insolentium,
vitio, & aliis de causis fieri, credendum
est. Denique hoc addunt nonnulli:
ob quam causam DEUS olim Philis-
tæorum, Moabitarum, Ammonita-
rum, Israëlitarum, Midianitarum,
gentium nempe Ebræis inimicarum,
atque infestarum, reliquias, vel illis vi-
cinas, vel etiam immixtas, habitare
passus est: ob eandem hodie patitur
Muhammedanos, hostes Christiano-
rum acerrimos, tamdiu regnare & flo-
rere, videlicet ut, quemadmodum
eos

39.
eos ferrum acuit, ita durissimi illi ho-
stes Christianorum vicinorum fortitu-
dinem, patientiam, prudentiam ali-
asque virtutes acuunt, interdum quo-
que flagellum sint, quo ipsorum pec-
cata ac scelera castigari possint, & co-
erceri. Aliæ causæ aliorum judiciis
peruestigandæ relinqvuntur.

Quæstio II.

An tandem excidium Turcicæ Tyrannidis sit ex- pectandum?

Hanc quæstionem jam supra strin-
ximus in enucleatione dicti Apo-
calyptici, prolixius autem pertractavit
Joh. Christoph. Rumetschius in *Schedi-
asmate historico de Turcarum vel everfione
vel conversione*, nec non in alio *Schedi-
asmate Historico-Theologico de Conjecturis
ultimi temporis*. Admodum probabi-
lem reddunt affirmativam sententiam
rationes, quas à nimia insolentia, con-
summata felicitate, immensa vastitate
imperii Turcici, item à multis, ipso-
rum etiam Turcarum, vaticiniis atque

ominibus, quidam desumunt atque exaggerant. Notabile illud est, quod Joh. Schildbergerus, qui sub Turcis militavit, Persiamque & Arabiam peragravit, in *itinerario suo* commemorat, *Librum Turcicum extare, in quo perhibeatur, regnum Muhammedicum non ultra mille annos duraturum.* Quin ipsum Pseudopphetam Muhammedem, morti jam vicinum, & loquendi facultate destitutum, utraque manu extensa, & decem digitis porrectis, eandem imperii, à suis posteris inchoandi, durationem, nempe decies centum, vel mille annos significasse, alii retulerunt. Ante hoc biennium die XXVI. Octobris Linzio ex Austria scriptum ac publicè relatum legebamus, à P. Avancino ad collegium Oenopontinum fuisse perscriptum quod P.P. Dominicani in regno Neapolitano, idoneum extruendo Monasterio locum diu investigaverint, tandem autem aliquo reperto, & fundamenti faciendi initio facto, operarii in spaciosam cavernam inciderint, instar facelli exadificatam, in cujus medio fontem viderint, cum imminente ei aquila bicipite, & hac in pariete sculpta scriptura: CUM DOMINUS HOC FONTE POTIETUR,
TUR-

TURCA OCCIDET. Verum hæc
 & talia sublestæ aut incertæ sunt fidei.
 Id tantum in præsentî consideretur, si
 quis futurus est, talem fore imperiî
 Turcici occasum, qualis fuit ortus.
 Ortus fatalis erat, incrementum fata-
 le: surrexit illud imperium in Osman-
 no, crevit in Amurathe I. in Bajazethe
 magis adolevit, in Mahummede II.
 floruit, in Solymanno stetit, subsistit
 in Muhammede IV. sed utinam vacil-
 let! Utinam adsit fatalis terminus illi
 præfixus, qualem alia ejusmodi fatalia
 & violenta regna olim habuerunt. Be-
 stia sane est Tyrannis Turcica, exhau-
 sto tot populorum, tot Christiano-
 rum innocentium sanguine quasi te-
 mulenta & tumida, tandem ut rum-
 patur, atque ad suum tendat exitium,
 justissima Dei vindicta efficiet. Fla-
 gellum Christianorum est dirus ille
 hostis, tandem à Deo Judice illud abo-
 lebitur & igne consumetur, quamvis
 non igne cœlitus demisso, sed aliis me-
 diis idoneis. Murus est porta Otto-
 mannica firmissimus, per tot annos
 Ecclesiæ Christi oppositus, tandem
 vel vetustate, vel suo pondere corruet:
 neque etiam defunt instrumenta &
 quasi arietes validissimi, quibus murus

C 5 ille

ille quassari aliquando, labefactari & subrui possit. Instant Turcico imperio hostes potentissimi pariter atque infensissimi, ab Oriente Persæ, ab Occidente Hungari, Germani, Itali, Poloni, à septentrione Moscovitæ. Quod si hi, maxime qui Christi nomen una profitentur, conjunctis armis animisque uno tempore, terra marique, hostem adorirentur, nec ullus, ab altero sejunctus pacis conditiones iniret, singuli singulas provincias profligandas & expugnandas sumerent, etiam Persarum imperatorem ad bellum, Turcis per idem tempus inferendum, sollicitarent, ceterum, quod palmarium est, precibus quoque & pietate erga Deum, ceu armis spiritualibus, certarent, nullum est dubium, quin ad evertendam istam dominationem hæc omnia multum sint valitura. O quam egregia hac nostra ætate se offert occasio, ejusmodi consilium exequendi! In aciem prodierunt Germani & Hungari: Venetici cum aliis Italis pugnant fortiter & Moream usque jam sunt progressi: Poloni armantur denuo: in belli contra Turcas societatem venturi quoque dicuntur Moscovitæ.

DE-

DEus pacis & concordiaē uniat, unitosque fervet Christianorum animos: concordia enim ad arduum isthoc negotium opus est. Contra diffidiis nostris suffulta atque firmata huc usque prævaluit porta Ottomannica. Arma enim, in Turcas conferenda, in nostros convertimus: gladiū bellicum, in hostes Christiani nominis distringendum atque vibrandū, in ipsa nostra viscera torsemus. Heu furor! Heu dolor! majore concordia usi, majore etiam felicitate pugnabimus: nec erit, cur penitus desperemus de imperii Turcici ruina atque interitu, aut certe decremento notabili? Quo vero anno hoc futurum sit, & quo potissimum duce, item in qua regione ingens aliqua aut internecina Turcarum clades sit expectanda, non nostri, sed divini est arbitrii.

Quaestio III.

An aliqua Turcarum à Muhammedismo ad Christianismum conversio sit speranda?

Qui hoc affirmarent, non defuerunt: prolixiorem testimoniorum

rum

rum pro illâ sententia syllabum exhibet Rumetschius *cit. Sched. sect. III.* ex quibus tantum adduco illud M. Antonii Torquati, Med. Doctoris Ferrariensis, & Astronomi clarissimi in *Prognostico de everfione Europæ ab anno Salutis M. CCCC. LXXX. usque ad annum M. D. XXXVIII.* apud Marquardum Freberum Tom. II. *Scriptorum rerum Germanicarum* p. 174. ubi hæc scribit, vel vaticinatur: *Tunc videbis Turcas ad Christi fidem convolare, tunc Christiani, qui Christum abnegaverunt, ad ejus suave jugum læti revertentur, & gemina imperia sub uno imperatore convolabunt, & ab uno regentur. Et p. 175. Sicque Domini nostri Jesu Christi vexillum ad Orientales partes cum gloria portabitur, & Muhammetana secta cessabit, & passim Machumetani & Indi ad Christi baptismum convolabunt, cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.* In divinis quidem litteris nullum de hac conversione vaticinium expressum licebit reperire, nisi illud Apocalypticum de Gogo & Magogo igne cœlitus delapso, consumendo, mystice velis interpretari, & dicere, ignem hunc fore verbum DEI: Cui cessurus sit aliquando Muhammedismus: veluti apud Prophetam Jeremiam: Non-

ne verbum meum sicut ignis, inquit Dominus, & sicut malleus conterens petram. Hoc tamen probabilitatis nonnihil conciliat affirmanti sententiæ, quod Turcæ non ita contumaciter, ut aliæ Gentes extra Ecclesiam, media conversionis respuant: non enim penitus damnant & rejiciunt Scripturas Veteris & Novi Testamenti, quin potius à divina revelatione eas perfectas esse concedunt; sed imperfectas tantum & corruptas erimantur. Imo alios quoque Christianorum libros magni interdum fecisse leguntur. Non pigror ex Christoph. Besold. discurs. Polit. p. 74. sequentia adscribere: Mirum est, quod Aubertus Miraus in elogiis Belgicis fol. m. 56. ac etiam Henricus Sommalus è Soc. Jesu in Epist. illius libelli editioni prefixa de aureo Kempisii libello (quo Christi imitationem & mundi vanitatem efficacissimis argumentis inculcat) referunt: Cum Societatis Jesu Sacerdos quidam ante annos plus minus XXX. Argirium Mauritania profectus esset lytrum captivis reducendis laturus, Rex eum in suam duxit Bibliothecam, varia librorum supellectile instructam: varios hic illi codices visendos porrigit, atque in his libellum hunc vulgari barbarorum lingua redditum, adjecitque, pluris se unicum illum facere,

Facere, quam reliquos omnes Mahumetano-
rum. Praclarum sane vel ab hoste expres-
sum testimonium, quod nisi gravissimis te-
stimoniis niteretur, incredibile videri possit.
Sic & Ludovici Granatensis opera quaedam,
in Linguam Arabicam esse versa, atque a
Turcis in precio haberi notat illic, qui vitam
B. Granatensis conscripsit fol. m. 38. Haec te-
nus Besoldus. Porro Christum, quem
ipsi Eysa i. e. Jesum vocant, agno-
scunt & contra Judæos defendunt,
esse Mesiam & Schilo, magnum Pro-
phetam & Legatum DEI in Lege &
Prophetis promissum, & ante Muham-
medem mundo missum, Verbum Dei,
verbum veritatis, mentem, sapientiam
Dei, missum, ut oves perditas Israëlis
reduceret, miraculis coruscum, visum
cæcis, claudis gressum, ægrotis sanita-
tem, vitam mortuis restituisse, ex Ma-
ria virgine natum, nullum ex homi-
nibus patrem habuisse, intercessorem
in altera vita, ad Cælos evectum. Vid.
H. Grotius de Verit. Relig. Christ. lib. VI.
§. IV. & V. p. m. 276. 277. & Hottingerius
in primitiis Heidelbergensibus p. 154, 155. qui
ex Alcorano textus ipsos, talia de
Christo afferentes, allegant. Ulteri-
us scelestam linguam in Christum
stringere, in Turcarum imperio nulli
impu-

impunè licet, id quod luculentissimo probatur exemplo in *Taarich. Persic. Schikardi p. 180.* figillatim Judæos de blasphemia in Christum accusatos severissimè puniunt. Memorabile exemplum quod Constantinopoli superioris seculi anno LXXVII d. XVI. Augusti contigit, affert B. D. Gerlachius in *Diario suo p. m. 374.* latantum Sententiam his describit verbis: *Der Mussli hat den Schluß nach unterschiedlicher Mahumedischer Lehrer = Erkänntniß gemacht / das man einen solchen / der Christum / oder / wie die Türcken ihn nennen / Eysa / daß ist / Jesum lästerte / solle bis an die Brust eingegraben und steinigen / oder verbrennen / oder seyn lebtag gefangen halten / und ihm 40. Tage / alle Tage nach einander achzig Streiche geben.* *Hottingerus l. c. non erubescit hoc Turcas maectare encomio: De ipso Servatore nostro vix quicquam scribunt & sentiunt, quo non Socinianos, qui Christianorum nomine præter meritum superbire solent, confundant.*

Hæc quasi semina sunt doctrinæ Christianæ, quæ in quibusdam etiam suscitata & ad eam maturitatem perducta fuerunt, ut, excusso Muhammedicæ superstitionis jugo, Christo nomen

nomen suum palam dare decernerent. IESUM sive JOSUAM, minimum BAJAZETHIS filium, sacris Christianis fuisse initiatum, ex Chalcondyla & Generardo notat *Hottingerus part. IV. hist. Eccl. c. XV. p. 815*. Plura exempla annotavit. *Abr. Bzovius Continuat. annal. Baronii Tom. XIII.* quæ hic recensere, nimis foret prolixum. Duo notabiliora commemorare liceat. Elapsis nunc ferme ducentis annis, nempe A. C. M. CCCC. LXXXVII. ex Atfaqui, Legisperito Muhammedano, seu Doctore Turcico, DEi gratia, & ministerio Concionum Marquesii Adefora, Valentia in Hispania conversus fuit aliquis postea Johannes Andreas dictus, natione Maurus, qui jussu Martini Garzia, Episcopi Barcinonensis Alkoranum ex Arabica in Arragonicam Linguam vertit, quamplures Muhammedanos Christo adduxit, & Librum, quem *Confusionem Sectæ Muhammedanae* vocat, scripsit, quem superioris seculi anno XL. Dom. de Gazelu in Italicum, & anno sequente XCV. D. Jo. Lauterbach Ictus in Latinum, & anno XCVIII. Christianus Cælius, iterumque hoc anno D. Capell. P. P. Hamburgi in Germanicum sermonem tran-

transtulerunt, multum profuturum
 ad convincendos Turcas, si etiam
 Turcicè vel Arabicè extaret, iisque
 perlegendus obveniret. Harum enim
 Lingvarum crebriorem cultum & usum
 ad Turcarum confutationem, & con-
 victionem apprimè necessarium & uti-
 lem fore, inter omnes constat. Pro-
 fus singulare est, quod prælaudatus
D. Gerlachius, dum Constantinopoli
 vixit, diario suo inseruit p. m. 58. nem-
 pe seculi superioris anno circiter
 XXVIII. ipsum summum sacrorum
 Turcicorum Pontificem, quem
 Muphti appellant, ultro Solymannum
 Imperatorem accessisse & professum fu-
 isse, Christum esse filium DEI, omnes
 autem Turcas à Muhammede impo-
 store turpiter deceptos, Alkoranum
 non nisi fabulas & mendacia contine-
 re. Cum idem jussu Solymanni, ut
 ad saniolem mentem rediret, carceri
 per aliquot dies inclusus teneretur,
 sed sententiam & confessionem suam
 nequaquam mutaret, ad rogam da-
 mnatus, & cum filio, duodecim anno-
 rum puero, eandem confessionem
 constantissime edente, combustus est,
 ubi inter flammam identidem nomen
 JESU invocavit. Quem quatuorde-
 cim

cim ejus discipuli secuti, eandemque
 fidem confessi, idem quoque mortis
 genus expetierunt: primum igitur
 decollati, postea pyræ impositi, intre-
 pide animam exhalant. Idem Au-
 thor refert, superioris seculi anno circi-
 ter LXXII. Selymum Imperatorem fi-
 lio suo informatorem aluisse, magno
 in honore habitum, qui similiter ob
 christianæ Religionis confessionem,
 capite truncatus mortem oppetierit,
 his, cum ad supplicium duceretur,
 usus verbis: *morte mea non extirpabitis
 fidem meam: nam multa eorum millia su-
 persunt, qui fidei mee adstipulantur.* Fa-
 ciunt huc, quæ scribit Nicolaus de Cu-
 sa, Cardinalis, in *Cribr. Alkorani* lib. 1. c. 3.
*Multi, inquit, Christiani, sub Principibus
 sectæ Arabum, Christo devotius serviunt, &
 infiniti Christiani renegati: & Arabes, &
 ejusdem legis cum ipsis, timore gladii fingen-
 tes se illius sectæ, in hora mortis profitentur
 se Christianos, sicque finaliter facient omnes.*
 Ita igitur inter ipsos Muhammedanos
 surgunt veritatis Christianæ confesso-
 res. nec duram martyrii coronam de-
 trectant. Hæ quasi scintillæ sunt lu-
 cis Evangelicæ, inter Muhammedi-
 cas tenebras emicantis: DEUM ali-
 quando ampliores flammæ ex illis
 sua

sua gratia elicitorum, & miserarum regionum, in quibus cœlestis doctrina primum enituit, clementer respecturum esse, nec improbable videtur, nec factu impossibile. Quam proclive fuerit Deo, oculos cœcutientium aperire, ut vanitatem suorum dogmatum, & absurditates Alkorano comprehensas perspiciant, & certius firmissimè fidei fundamentum inquirent atq; amplectantur. Florimundus Ræmundus, Regis Galliarum quondam Confiliarius, *de ortu, progressu ac ruinis haresium, lib. IV. cap. IX.* autumat, à solius imperatoris Turcici sive Sultani conversione totius illius imperii dependere conversionem, imò innuit, parum abfuisse, quin Amuratbes Christianam amplexus fuerit religionem, nec aliud ferme se illi ostendisse obstaculum, quam infelix illud & multiplex inter Christianos Schisma, de quo non à matre tantum, sed etiam ab uxore, (quæ itidem fuerat Christiana) audiverat. Quamvis etiam alia se offerant impedimenta, inter quæ censerentur præcipua, res in imperio Muhammedano florentes, Turcarum plerorumque acerrimum, erga Christianos odium, disputationum de Controversiis religionis apud Muhammedanos prohibitio, & gravissimum

sumum illorum, qui superstitionem
 avitam deserunt, supplicium, de qui-
 bus prolixiorē disquisitionem insti-
 tuit *Rumetschius l. c. §. 5. Quare Hottin-*
gerus in Thesuro Philolog. lib. I. c. I. Sect.
IX. de Conversione Turcarum men-
tionem faciens, summam ejus difficul-
tatem his verbis prodit p. 62. Verum
cum nunc quidem temporis Saracenorum
truculenta inhumanitas difficilem Christianis
ad suos concedat aditum & cum primis di-
sputationes contra religionem Muhammedi-
cane agitata non raro capitis poena luantur,
insuper etiam Christianis quibuscunque, de
conversione eorum sollicitis, intestinarum
discordiarum & distractionum compositio-
nem obiectant, fateri debemus hæc talia
ευχης magis esse, quam ελπίδος. Spem
tamen non omnino abjiciendam esse,
hæc ejusdem verba indicant in Biblio-
thec. quadripart. p. 389. illud viri docti &
orientalibus itineribus clari, non semel testa-
ti sunt, seriam aliquando pro Muhammeda-
norum convictione curam non fore inanem.
Optandum proinde, ut ab intestinis tandem
disidiis liberati communem pro Christo
causam ageremus: hoc præsertim tempore,
quo Ottomannica militia nimis suis pro-
gressibus non concordia tantum studium
Principibus Christianis, sed & consilia ejus-
modi

3.
modi Theologis suadere videtur. Nec de-
finire velim an conscientia hactenus satis sit
factum.

Quæstio IV.

Quænam sint præci-
pua Conversionis Judaicæ
obstacula?

DE futura Judæorum ante novissi-
mum diem conversione jam supra
ex testimonio Paulino differui, quam
ex Pontificiis quidam, nominatim Je-
suitæ Pererius & Ribera, adeo certam
statuunt, ut nixi loco Apoc. VII. v. 4.
numerum quoque convertendorum
definire audeant, & non plures cen-
tum quadraginta quatuor millibus ex
Judæis ultimo tempore ad Christum
conversum & salvatum iri, contendant
in *Comment. ad c. l.* Verum non imme-
rito miramur, cur hodie tam pauci
Judæorum, inter medios etiam Chri-
stianorum commorantium, ad fidem
Christi convertantur. Obstacula igi-
tur, quæ hanc conversionem non pa-
rum sufflamant, ostendisse & confi-

D 3

derasse

derasse iuvabit. Primum in ipsis Judæis est contumax & in pristina religione malè obfirmatus animus, quem ad sanæ doctrinæ veritatem perducere, difficilimum est. De quo ita B. Lutherus loco supra citato: Ein Jüde oder Jüdisch Herz ist so Stock- Stein- Eisen- Teuffel- hart / daß es mit keiner weise zu bewegen ist. Wenn Moses käme mit allen Propheten und thäten alle Wunderwerke für ihren Augen / daß sie solten ihren harten Sinn lassen / wie Christus und die Apostel für ihnen gethan haben / so wäre es doch umsonst. Wann sie auch so greulich gestrafft würden / daß die Gasfen voll Bluts rönnen / daß man ihre Todten nicht mit hundert tausend / sondern mit zehenhundert tausend rechnen und zehlen müste / wie zu Jerusalem unter Vespasiano, und zu Bittor unter Adriano geschehen ist / dennoch müssen sie recht haben: Wenn sie auch über diese 1500. Jahr noch 1500. Jahr solten im Elend seyn / dennoch muß Gott ein Lügner / sie aber warhafftig seyn. Summa: Es sind junge Teuffel / zur Hölten verdammnet. Ist aber noch etwas Menschliches in ihnen / dem mag solch schreiben zu Nuß und guth kommen.

Firmant hanc contumaciam inveteratæ

ratae Judæorum hypotheses atque opinioniones, quæ mentibus illorum inhaerent tenacissime: talis est illa, qua Christianæ religionis dogmata cum Mose adversis quasi frontibus pugnare, sentiunt: hac jam olim fascinali S. Stephanum lapidibus obruebant, & promartyrem creabant, & Apostolum Paulum Mose contraria docere, pertinaciter clamabant. Circumcisionem pactum æternum esse, leges de abstinentia certorum ciborum, aliisque ceremoniis, nunquam abrogandas, sibi persuadent. Hujusmodi persuasiones vanæ nisi animis Judæorum evellantur, doctrinæ Evangelicæ semina illis non poterunt inferi. Porro non exiguam iis remoram injicit operis Talmudici autoritas, quam tanti faciunt, ut nullo modo eam deserendam putent, nec tot falsitates, tot figmenta, & apertas contradictiones, in eo contentas, occæcati videant, aut videre velint. Ulterius radicatum Judæorum in Christianos odium, animos illorum à fide Christiana admodum alienos reddit, quod augent tum contumeliæ & dicteria, quibus plebej non raro Judæos, intra eadem mœnia secum habitantes, impune afficiunt; tum, (quod

dissimulandum minime est,) deprava-
 ta plurimorum, Christi nomen profi-
 tentium, vita: hæc offendiculo istis
 est, ut de ipsa religione Christiana malè
 suspicari incipiant. Quod ipsum quoq;
 dicendum est de Papicularum idolola-
 tria, & ad imagines directæ adoratione,
 à qua tantopere abhorrent Judæi, ut æ-
 des illorum sacras domos turpitudinis
 appellitent. Ibi igitur emendatione, heic
 reformatione opus est, quam si sincere
 instituerent in sua Ecclesia Pontificii,
 forsan plus efficerent, quam violentis
 illis modis ac mediis, quibus in propa-
 ganda religione, quam vocant, Catho-
 lica utuntur, & nuper denuo in Lusita-
 nia Judæos convertere aggressi sunt.
 Neque tamen nimia erga Judæos faci-
 litas commendatur, qua in superstitioni-
 bus suis magis magisque confir-
 mantur, dum alicubi illis Synagogæ
 licentius conceduntur, quæ tamen ni-
 hil aliud sunt, quam officinæ, in qui-
 bus nomen Christi profanatur, Chri-
 stianis maledicuntur, fabulæque Talmu-
 dicæ propagantur. Nimia etiam fami-
 liaritas, quæ contemptum alias parere
 dicitur, & frequentius cum Judæis
 conversandi studium, maxime si non
 exerceatur informationis gratia, plus
 obstat,

obstat, quam proficit eorundem conversioni. Illud ita detestatus est B. Lutherus, ut Christiano indignum iudicaverit cum Judæo cibum potumve capere, utpote cuius os crebras in Christum Servatorem nostrum blasphemias evomere consueverit. Verba ejus Tom. VIII. Jen. Germ. p. 95. sunt hæc: Wenn du siehest oder denckest an einen Jüden / so sprich bey dir selbst also: Siehe / das Maul / das ich da sehe / hat alle Sonnabend meinen lieben HErrn Jesum Christ / der mich mit seinen theuren Blute erlöset hat / verfluchet und vermaledeyet / und verspeyet / dazu gebetet und gefluchet für G D Z Z / daß ich / mein Weib und Kinder / und alle Christen erstochen / und auff's jämmerlichste untergangen wären / wollts selber gerne thun / wo er könnte / daß er unsere Güter besitzen möchte / hat auch vielleicht heute dieses Tages vielmal auff die Erde gespeyet / über den Namen J E S U (wie sie pflegen) daß ihm der Spiegel noch im Maule und Barte hänget / wo er Raum hätte zu speyen. Und ich solte mit solchen verteuffelten Maule essen / trincken oder reden / so möchte ich aus der Schüssel oder Kannen mich voller Teuffel fressen und sauffen / als der ich mich gewis

D 5.

da

damit theilhaftig machte aller Zersel / so in den Jüden wohnen / und das theure Blut Christi verspeyen. Da behüte mich Gott für. Et B. Chrystomus contra illos, qui ad Judæorum Synagogas, festa, & sacra alia nimis avidè & petulanter confluebant, jam olim severam habuit orationem, inter alia his quoque usus verbis: *Neque exiguum intervallum est inter nos & Judæos, neque de rebus levibus aut vulgaribus inter nos est controversia, ne tu unum & idem esse credas nostrum & illorum institutum, ac non miscenda misceas: illi crucifixerunt Christum; tu crucifixum adoras. Vides, quantum interest. Qui sit igitur, ut ad illos, qui Christum occiderunt, curras, profitens te adorare Christum? Et alibi: Ad horum Synagogas accurras? nec metuis ne fulminis impetus, cœlitus emicans, exurat caput tuum? Paulo post: tu vero ubi pater afficitur contumelia, ubi filius laceffitur convitiis, ubi Spiritus S. contemnitur, eo studes accurrere? Age, dic mihi, non metuis, non horrescis, cum te ipsum in loca profana impura, conjicis? Hactenus Chrystomus. Non tamen in arctum cogenda, aut prorsus tollenda est hæc cum Judæis consuetudo, ne occasio illis, meliore informatione fruendi, & ad fidem*

dem

dem Christi perveniendi, penitus præ-
cidatur.

Quæstio V.

Quænam sint potiora Conver-
sionis Judaicæ adminicula?

REmotis obstaculis, etiam de admi-
niculis operis tam salutaris, dispi-
ciendum est. Primum quidem cum
conversio alicujus Gentis non sit no-
strarum virium, divinum auxilium ar-
dentibus precibus est implorandum:
Oremus igitur pro Judæis, ut **JESUS**
*mundi Servator, quem olim unius filia Abra-
he miserebat, à Satana decem & octo annis
ligata, ut eam solveret à diris istis vinculis,
quia filia Abrabe erat, pari misericordia
motus, innumeros Abrabe posteros, quos
Satanas laqueis suis quasi quadrupedes, mi-
sere constrictos tenet, idque à sedecim secu-
lis, pronunciato suo efficacissimo èϞϞαϞα,
solvat, ut eorundem aures aperiantur, vincu-
la linguarum laxentur, ipsique rectè loquan-
tur.* In omni etiam necessaria con-
suetudine humaniter hos homines tra-
ctemus, tanquam devios à vera religio-
ne, & ad rectam viam reducendos; sed

ta-

tamen summo caveamus studio, ne ad externam Christianæ religionis professionem illi per vim adigantur, quod nunquam profuisse compertum est. Igitur porro conjungenda cum precibus est sedula Judæorum ad conversionem & fidem excitatio atque informatio, quod commodissime fieri, multi putarunt, si viri Ebraicæ linguæ & rituum Judaicorum probe periti, stans temporibus sermones Judæorum ingenio, causæ & conditioni accommodatos, haberent, quibus ut ipsi Judæi intersint, amicè moneantur & certo modo compellantur. Quomodo enim credent Judæi, si nihil audiverint? *fides certè ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, docente Paulo Rom. X.* Habendas hujusmodi ad Judaicam Gentem Conciones serio jam olim desideravit Concilium Basileense anno millesimo, quadringentesimo trigesimo tertio, & Concilium Mediolanense anno supra sesquimillesimum sexagesimo quinto habitum. Ejusdem Consilii autores extiterunt Viri gravissimi Lutherus, Melanchthon, Balduinus, Helvicus & alii. Hassiæ quoque Theologi morem cum Judæis colloquia informativa instituendi etiam

etiam nunc observare dicuntur. Idem Venetiis, Pragæ & Romæ usu venit, quamvis non semper eo, quo fieri debebat, modo. Nam qui Romæ fuerunt, & ex his *αὐτόπῃς καὶ αὐτήνο* Exc. Dn. Wagenfeilius *pref. ad T. I.* 5. p. 90. testantur, ibi in templo huic rei dicato singulis Sabbathis à Monacho quodam Dominicano Concionem quidem, cui ex Judæis viri fœminæq; definito numero interesse coguntur, haberi, sed mere profanam, non precibus pro Judæorum conversione stipatam, sed multis sannis ad exagitan- dos tantum Judæos compositam, non Judæorum errores solide refutantem, sed circa generalia duntaxat hæren- tem. Unde mirum non est quod omni successu & fructu careant hæ conciones, dum Judæi in risus & screa- tus se resolvunt, & Concionatori suo frequenter ogganniunt, atque ingenti pertica ea propter castigati, turbas- dant, & præconi interdum pausam, faciundi, necessitatem imponunt, qui postquam ad clepsydram verba fudit, eodem, quo advenerat, carpento splen- dide domum revehitur. Frigidius & negligentius ita tractari hoc medium, quam ut Judæorum conversionem, pro-

promovere valeat, quis non animadvertit. Nec immeritò miratur *vir prelaudatus l. c.* cur tantis impensis, tantis cum periculis, tanta contentione, de gentilibus, extremis quoque Indis, ad Christianismum perducendis, curam Pontifex R. suscipiat, Judæorum interim, quorum in ipsis regnis Papiſticis, in ipſo ditionis Pontificiæ gremio, incredibilis multitudo reperitur pœnæ omnino incurioſus, ita, ut vix audiamus unquam, miſſionarios Jeſuiticos eorum gratia in alienas terras commigrare. *In nascente, inquit, Ecclesia principes Apostolorum partiti inter se fuerunt munus suum, & Petrus Judæos, Paulus gentiles viam salutis docere suscepit, unde hujus ad Galatas dictum: περιεβουμα τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀνεργουσίας, καὶ ὡς πῖτερος τῆς περιτομῆς.* Peculiare quoque mandatum à Christo Magistro Petrus acceperat, *σχεῖζα τὰς ἀδελφούς* confirmandi fratres, quales sine dubio Judæi significabantur. Esto igitur, referat nobis in cæteris Petrum Apostolum Romanus Pontifex, ejusque exprimet exemplum. Saltem hæc ævis auctoris sui vestigia minime legit, quod præ Judæis Gentiles complectitur, horumque magis, quam illorum æterna commoda, quantum in se est, procurat, plane quasi in
Pauli

Pauli non Petri locum successisset. Hæc Dn. Wagenfeilius. Ferventius ergo urgendum est Judæos convertendi studium, & laborandum, ut informationem tandem sequatur convictio eaq̃ modesta quidem, accurata tamen & solida ex Scripturis potissimum Veteris Testamenti, exemplo CHRISTI, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ Doctorum, quando contra Judæos disputarunt. Ad quod vero negotium adhibendi sunt Viri sacris & profanis literis non leviter tincti, qui & sua perspicue proponere ac solide defendere dogmata, & Judæis os obterare possint, ne imperitia Doctorum Christiana Religio dehonestetur potius, quam asseratur, Judæi verò in cœcitate sua obdurentur & confirmentur. Quæ in re denuo se viros nequaquam præstant plerique ex clero Pontificio, utpote qui nullius lingvæ minus, quam Ebraicæ studium excolunt, tantopere tamen necessarium iis, qui Judæorum conversionem tentant. Quia tamen Novum Testamentum veteris interpretamentum & complementum est, è re præsentis maximè foret, si etiam ad hoc legendum audiendumve Judæi adducuntur. Ne vero linguarum, quibus

bus hoc consignatum extat, ignorantiam prætendant, operæ precium forsitan faceret Vir, Ebraice doctus, qui illud totum, aut præcipuas partes in Ebraicum idioma fideliter transferret, vel saltem, ut Judæis in Germania nostra degentibus consulatur, Germanica, versio Rabbinicis litteris, (quod aliquando ipsum quendam Apellam desiderasse memini) expressa vulgaretur. Quod tamen consilium aliorum, ad quos talia spectant, iudicio examinandum permittitur. Interim si media nunc recensita prudenter adhibeantur & ardentius tractentur, Ecclesiasticis & Politicis personis suam operam conferentibus, de futura multorum, qui inter Christianos degunt, Judæorum conversione non adeo desperandum erit, quorum exemplum alii subinde sequentur, & tandem, facto quasi agmine, in ovile Christi ingrediantur.

Quæstio VI.

Quænam sint fulcimenta sedis Romanæ præcipua?

Qui-

Quicumque sedem Romanam aliquot seculorum
 decursu adeo immotam perstitisse perpenderit,
 eam sane non dixerit ficulneam, sed è quercu forsan
 Hibernica constructam & exasciatam, ita, ut illam
 nulla unquam attingat aranea, quin occidat illico;
 aut ex cedro dolatam, ut nullam unquam sentiat ca-
 riem. Sed alia tamen sunt, quæ hanc firmitatem ipsi
 conciliant. Primarius, ut supra innuebatur, tibicen,
 quo fulcitur sedes Romana, est infallibilis Pontificis
 Autoritas, qua apud summos & imos pollet quam-
 plurimum, quidvis potius quam Romanam sedem
 everti, passuros. Fatentur eam & tuentur tot Reges &
 Principes Europæ potentissimi, vel saltem non au-
 dent palam contra dicere quicquam aut facere. Quin
 propria Pontificis potentia eam fulcit, nobilissimas
 & ditissimas Italiæ provincias possidentis, numero-
 sum semper exercitum alentis, ac non paucis castellis
 munitissimis, terrestribus pariter & maritimis, confi-
 dentis. Porro circumstant satellites fidelissimi, Cleri-
 ci puta, Cardinales, Episcopi, & ex monachorum or-
 dine hodie imprimis Jesuitæ, qui sunt quasi Papæ mi-
 lites prætoriani, omnibus modis caventes, ne quis
 imperatori suo incommodet. Quantus Monachorum
 sit numerus, vel ex eo potest colligi, quod *solus genera-*
lis Monachorum Franciscanorum Pio II. Pontifici, bet-
lum contra Turcas meditati, ex uno suo ordine trigin-
ta millia bellatorum egregiorum obtulerit, qui bellica
munia gnauiter obire possent, nihil interpellato sacro-
rum cultu, ut refert Sabellicus: item quod Paulus IV.
 dicitaverit, se sub sua habere potestate ducenta &

E

octo-

octoginta octo millia parachiarum & quadraginta
 quatuor millia monasteriorum, & ea omnia innume-
 rabili monachorum monialiumque caterva referta
 esse, quis addubitat? Tanti exercitus Laici quasi tri-
 butarii sunt, cœca obedientia & superstitione ducti:
 si quis Papæ se opponere ausus fuerit, non desunt ex
 clericis, qui citius eum opprimant, vel è medio tol-
 lant, ne regio quidem sanguini parentes. Testes sunt
 Jacobus Clemens & Franciscus Ravailacus mona-
 steriis egressi, quorum ille Henricum III. hic Henri-
 cum IV. Gallia reges potentissimos summo scelere ju-
 gulavit, quod prior tentaverat Jo. Chastellus, è Jesuita-
 rum schola missus, præsentiore temeritate, quam feli-
 cior successu. Consciens fuerat hujus facinoris Ale-
 xander Hajus Jesuita, qui Guignardo consueverat
 dicere: *Si contingeret Regem Henricum IV. ades Je-
 suitarum transire, se libenter è fenestra prono capite se-
 demissurum, ut vel cum vitæ periculo cervicem tran-
 seuntis abrumperet*, referente Thuano. Neque Albi-
 gnium Jesuitam omnino ignarum fuisse cædis, à Ra-
 vaillaco in eundem regem perpetratae, non obscure
 innuit historica relatio Petri Matthæi *bis.* part. III.
 lib. VI. quanquam ipse author verborum ambagibus
 eos hac suspicione eximere velle videatur. *Conf. Au-
 tor Speculi Jesuitici p. m. 82. & 153.* Execrando & in-
 audito prorsus exemplo, trecentis circiter annis, sica-
 rios hos præiverat Bernhardus Politianus, Monachus
 Prædicatorii ordinis, qui misto sacro calici veneno,
 vel, ut alii referunt, oblata hostia venenata Florenti-
 norum, ut volunt, conductu Henricum VII. impera-
 torem

lorem extinxit, adeoque *columnam magnanimitatis & justitiae, florem germinis Germanorum*, ut est apud Albertum, *subvertit*. Si tanti Principes tam nefariis Monachorum insidiis & periculis fuerunt expositi, quis tandem à juratis illis Papæ Romani emissariis erit tutus, si quando contra Papam vel hiscere saltem ausit? Hæc manent eos, qui potentia Pontificæ obviam eunt: iisdem, si non gravioribus periculis sua objectant capita, qui dogmata vel decreta Pontificis Romani impugnare occipiunt, quod tragico suo exemplo Jo. Hussus, & multi alii docere possunt. Quibus omnibus penitus consideratis multi adducuntur, ut credant, Romanam sedem perpetuo duraturam, nec collapsuram esse, nisi *ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἔλθῃ*, qui *τὸν ἀνομιόν* in illa sedentem, tunc conficiet Spiritu oris sui & abolebit, juxta prædictum Pauli 2. *Thess. ii. v. 8.*

Questio VII.

An Sedes Romana prorsus sit inexpugnabilis.

Sedem Romanam *bifariam* posse considerari, vel *ratione potentia*, vel *ratione doctrina*, ex præcedentibus intelligitur: ergo & quæstio hæc duplicem admittit sensum, (1.) an *potentia*, (2.) an *doctrina* sedis Romanæ sit inexpugnabilis? Quod ad primum attinet, certum est, Romam, urbium dominam, etiam postquam Christiana esse cœpit, non semper fuisse *ῥώμην*, i. e. robur invictum, sed aliquando *ῥύμην*, i. e. vicum, in quem hostibus invadentibus, patuit

aditus. Superiorum seculorum historia hoc aperte loquentur. De cladibus, quas ferocissimi populi, Gothi, Hunni, Longobardi, Vandali, iterum iterumque Romæ intulerunt, nihil dicam. Christianos tantum Imperatores memorabo, qui Romanæ sedis potentia atque tyrannide exacerbati, suos ad urbem exercitus admoverunt, ipsaque capta, in miras angustias superbos Pontifices redegerunt. Supra obiter nominabantur quatuor: primus Arnolphus, qui Guidone, per tumultum in Italia rege creato, seculo IX. jam præcipiente, Italiam sibi urbisque imperium vindicavit, adeoque post Gothicam tempestatem Roma primus potitus est, lepusculo viam monstrante, ut referunt Luitprandus, Sigebertus & alii. Alter Otto III. qui postea seculo circiter exacto, Roma etiam occupata, Papæ Johanni XVIII. vel, ut alii numerant XVII. ope Crescentii Consulis intruso, digitos amputari, oculos erui, eum ex Capitolio præcipitem dari iussit, Brunonem autem, Ottonis Sveviæ ducis filium, Gregorium V. dictum Pontificatui restituit, referente eodem Sigeberto, & Rolevincio *fastic. temp. f. m. 70.* ubi sic loquitur: *Imperator reversus Crescentium cepit, & capite truncavit. Johannem autem Anti-papam exoculari, & ceteris membris mutilari fecit, nihil eum juvantibus ducatis suis. Quia enim fecit, quod non debuit, passus est quod meruit.* Tertius prodeat Henricus IV. Cæsar ille quidem afflictissimus, sed libertatis Christianæ defensor strenuus, qui iteratæ, qua Papa Hildebrandus, sive Gregorius VII. ipsum de honestaverat, excommunicationis impatiens, Papali insolentia

tix suas vires opposuit, & vergente seculo post C. N. undecimo tota belli mole in Italiam conversa, Romam obsedit, cepit, ipsum Lateranense palatium, ex quo Hildebrandus in arcem S. Angeli profugerat, intravit, Hildebrandum è Pontificali solio deturbatum, porro in monasterium Cassinense, hinc Salernam, ubi usque ad obitum suum habitavit, compulit, & Gvibertum, Clementem tertium appellatum, in ejus locum substituit, tradente Helmoldo. Quartus deniq; triumphet gloriosissimæ memoriæ Imperator Carolus V, qui, ut Papam Clementem VII. in ordinem redigeret, Carolum Borbonium Ducem cum exercitu misit, & Roma anno superioris seculi XXIX. mense Maio occupata, Pontificem in arce Hadriani, quæ Castellum S. Angeli dicitur, per sex menses captivum tenuit, deportandum in Hispaniam nisi pacis conditiones fuissent subsecutæ, & Imperator laudi potentia, laudem clementiæ prætulisset, quæ recensentur à Jovio, *lib. 29. hist. p. 66. & Bezovio Tom. XIX. n. 12.* aliisque. Tunc Romanam sedem vinci & expugnari posse, patuit, & ipse Pontifex captivus, *se non posse errare*, suo exemplo docuit: (quo asteismo non nemo illo tempore usus fuit.) Ita enim castello conclusus tenebatur, ut nullus errori daretur locus. Non hic silentio prætereundum, quod ante ducentos & quod excurrit annos Romanam sedem prope exanimavit; expugnata erat à Muhammade II. sævisimo Turcarum tyranno Hydruntis, hodie Ortranto, urbs Calabriae maritima & celeberrima, quæ res toti Italiae & cum primis Romæ tantum incutiebat terrorem, ut

plerique magnates jam fugam meditentur, supelle-
ctile cariore, in tutiora loca deportata, imo ipse Pa-
pa, Sixtus IV. de defendenda Roma desperans, Galli-
am sibi refugium eligeret. Nec vanus erat metus: ni-
si enim repentina Sultani Turcici mors intervenisset,
Roma indubie oppressa, & ultima passa fuisset. Nolim
cum quibusdam Theologis & Politicis, qui fata Ec-
clesiæ futura ex Apocalypsi S. Johannis scrutantur,
Romæ exitium ante novissimum diem ominari, à
Turcis aliisque barbaris inferendum; nullum tamen
dubium est, quin sive barbarus, sive Christianus Prin-
ceps aliquis, sufficientibus ad hoc negotium viribus
instructus, Romanæ sedis potentiam labefactare vel
destruere penitus possit. Verum & hoc *ἰν τῷ Θεῷ*
γίνεσθε κείται. Labefactata potentia etiam doctrinæ
Pontificiæ multum autoritatis decessurum, spes foret.
Quamdiu enim sedes Romana suis nititur opibus,
omnibus rebus se florentem videt, & infallibilem se
jactat, nec agnoscit errores & abusus, quibus laborat,
tamdiu, hætenus quidem, inexpugnabilis subsistet,
nisi aliud visum fuerit divinæ Pronocæ, quæ media no-
vit, Ecclesiam reformandi & à falsis doctrinis pur-
gandi, ad quæ humani ingenii acies alias non
penetraverat.

TANTUM.

Coro.

*Coronidem pagellis hisce imponant epigrammata tria
cum uno anagrammate.*

I.

In Turcas hoc & superioribus annis à Christiano
exercitu fusos fugatosque.

Crescere decrevit Turcarum Luna; sed ecce

Decrevit subito, crescere quando parat.

Cornibus hæc plenis splendebat Luna per orbem,

Se tamen haud plenam noverat ipsa satis.

Porro ita decrescens tandem nova Luna filebit

Nam, quæ plena fuit, denique Luna filet.

II.

In Judæos contumaces.

Quæ capit atq; rapit, proprios convertit in usus

Omnia Judaicæ Gentis avara manus.

Ast minime divina capit præcepta salutis:

Mens præfracta illi, quæ fuit ante, sedet.

Ergo tot injustas Stygius rapit atque lucratur

Lucrantes animas orcus ubique sibi.

III.

In Romanam Sedem, ex veteri vaticinio, quod
Friderico Cæsari adscribitur.

Orbis Roma caput vetus est, cerebroque repletum;

Ast porrigo frequens inquinat hocce caput.

Alte Roma Caput sese effert, multa gubernat;

Ast vertigo minax hoc caput ecce capit.

Non patitur Medicum, nec morbum agrota fatetur

Roma: quid ergo spei jam superesse potest.

Roma diu titubans, longisque erroribus acta

Corruet & mundi desinet esse Caput.

Ana-


*Anagramma, quod sequitur, non sine omine prosper-
rimorum contra Turcas successuum o deiva, vñv
μακαριτης ex prophetia quadam Carionis ante
bos viginti annos composuit.*

Leopoldus Dei gratia Romanorum Imperator
semper augustus, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ,
Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæ &c. Rex,
Archidux Austriæ.

Per purum anagramma.


Exurget Laurea, monarcha juvenis, amata pace
domi, arma gloriæ exeret ad avaras oras Gog: hic
consilio & industria redimet templum Sophiæ.
Verba vera.

DEO SOLI GLORIA.



Errata.

Legatur p. 3. l. 21, 22. a filio orchone captum, po-
steaque confirmatam. p. 5. l. 17. arrogantiam.
p. 7. l. 13. de Ecclesiastica, p. 15. l. 4. progressu-
ros, & l. 18. permisso p. 20. l. 8. prædixisse, & l.
12. credidisse p. 23. l. 24. Rungius p. 27. l. 21.
Payrerio.



U
V
P
C
A
E
B
D
O
A
M
A



386
C, 22

ULB Halle 3
005 126 916



W 77



LIT
EBRA

2





2

M. SAMUELIS RODIGASTI
SPES IN FUNDO

sive

Trias ante novissimum
diem sperandorum,

cum

hædomade Quæstionum affinium

excusa.



J E N Æ,

Sumtu J O. BIELKII, Bibliop.
A. O. R. M. DC. LXXXVI.

